AUTHOR:

NIPPERDEY, KARL

TITLE:

CAROLI NIPPERDEII SPICILEGII ALTERVS...

PLACE:

IENAE

DATE:

[1868-1871]

Master Negative #

93-81310-16

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Nipperdey, Karl, 1821-1875.

...Caroli Nipperdeii Spicilegii alterivs in Cornelio Nepote... Ienae, prostat in libraria Braniana, [1868-71]

6 pts. in 1 v. 26½ cm.

At head of title: Index scholarvm... in Vniversitate litterarvm Ienensi... a. MDCCCLXVIII [-a. MDCCCLXXI] habendarvm...

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 12½X

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 4-21-93 INITIALS M.D.C.

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

PART 1

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

INDEX
SCHOLARVM AESTIVARVM
PVBLICE ET PRIVATIM
IN
VNIVERSITATE LITTERARVM IENENSI
INDE A DIE XX M. APRILIS VSQVE AD DIEM XXXI M. AVGVSTI A. MDCCCLXVIII
HABENDARVM
AVCTORITATE
PRORECTORIS MAGNIFICI
BURCARDI GUILELMI LEIST
IVRIS VTRIVSQVE DOCTORIS ET PROFESSORIS P. O.
ET
SENATVS ACADEMICI
EDITVS.

PRAEMISSA EST
CAROLI NIPPERDEII SPICILEGII ALTERIVS IN CORNELIO NEPOTE PARS I.

IENAE
PROSTAT IN LIBRARIA BRANIANA
cuius possessores sunt Fridericus Bran Dr. Ph. et Hermannus Mauke.

1868

Quam rationem in recensendo et emendando Cornelio Nepote postremum a me superiore anno Berolini edito secutus essem, in praefatione illius editionis exposui. Iam, quae de singulis locis me disputaturum esse tum pollicitus sum, proponam.

Igitur Milt. 3, 1 haec in codicibus leguntur: *Eius pontis, dum ipse abesset, custodes reliquit principes, quos secum ex Ionia et Aeolide duxerat; quibus singulis ipsarum urbium perpetua dederat imperia*; quorum verborum duae propositae sunt explicationes, altera a Gebhardo, ut *ipsae urbes* essent, in quibus ipsi principes essent nati, altera a Buchnero, ut *ipsarum* significaret *Ioniae et Aeolidis.* Harum explicationum alteram utram omnes, qui *ipsarum* retinuerunt, secuti sunt; priorem ego quoque in prima editione: neutra ferri potest. Nam *ipsae urbes* non sunt contrariae aliorum urbibus, sed aliis rebus; neque tam ambigue quisquam scripserit, ut *ipsarum urbium* coniungat, cum prius vocabulum ab altero aptum esse velit; et si maxime hoc fecisset Nepos, non poterat Ioniam et Aeolidem dicere *ipsas*, ne *has* quidem *ipsas*, cum nulla causa esset, cur has regiones praecipua orationis nota efferret et ab aliis separaret. Eadem autem res repugnat coniecturis Lambini *ipsorum* et Guentheri a Dietschio receptae *ipse earum:* nam neque quod principum illae urbes erant, neque quod Darius imperia dederat, ultra solitum significandum erat. Neque enim his de causis fidem illis habebat, sed, ut deinceps refertur, quia et amici eius essent et ut tyrannis rege Persarum oppresso nulla spes salutis relinqueretur; ad quas res nihil sane intererat, patriae suae an alius urbis imperium tenerent idque ipse dedisset Darius an alius rex. Guenthero praeterea hoc obstat, quod paulo ante legitur *ipse abesset;* quo repetendarum vocum vitio etsi vel maxime laborat Nepos, tamen non est, quod ei nulla re cogente obtrudatur. Retinui igitur,

quod iam in superioribus editionibus posueram, *quibus singulis suarum urbium perpetua dederat imperia.* Nam extremis litteris vocabuli *singulis* male repetitis facile oriebatur, quod in codicibus legimus.

4, 4 Lambinum secutus edidi *Inter quos magna fuit contentio, utrum moenibus se defenderent an obviam irent hostibus acieque decernerent.* Nam quod antea retenta codicum scriptura *moenibus defenderent* ad hoc verbum, ut proposuerat Heusingerus, ex sequentibus *hostes* intellexeram, etsi falsum esse demonstrari non potest, tamen artificiosius est; et movit me similis locus in Themistocle 4, 2 *ut domos suas discederent moenibusque se defenderent.* Neque Nauckii rationem facile quisquam probaverit, qui *defenderent* absolute positum iudicavit comparato Cicerone de off. I. 7, 23 *Nam qui iniuste impetum in quempiam facit, is quasi manus afferre videtur socio; qui autem non defendit nec obsistit, si potest, iniuriae, tam est in vitio, quam si parentem aut amicos aut patriam deserat;* quo loco obiectum verbi *defendit* facile ex superiore *quempiam* intellegitur: id enim malo quam cum Beiero hic quoque *iniuriam* assumere, quamquam antea legitur *Sed iniustitiae genera duo sunt: unum eorum, qui inferunt, alterum eorum, qui ab iis, quibus infertur, si possunt, non propulsant iniuriam.*

Sequuntur haec: *Unus Miltiades maxime nitebatur, ut primo quoque tempore castra fierent: id si factum esset, et civibus animum accessurum, cum viderent de eorum virtute non desperari, et hostes eadem re fore tardiores, si animadverterent auderi adversus se tam exiguis copiis dimicari.* Sic iam in quarta editione minori de Lambini sententia scripsi, cum in omnibus bonis codicibus legatur *audere dimicari*, nisi quod de Danielino non satis constat, in quo *dimicarent* scriptum esse refertur, quod ita explicare conatus sum, ut *dimicare* suprascripto *ri* positum fuisse suspicarer. Antea praetuleram, quod in deterioribus quibusdam legitur *audere dimicare*, ut intellecto pronomine *se* Miltiades cum suis significaretur. Falso, ut vidit Dietschius: nam hoc *se* a Nepote intellectum non esse verba *adversus se* demonstrant; *illos* autem vel *eos*, quo *cives* significarentur, non poterat intellegi, sed poni debebat.

Them. 6, 2 *Idem muros Atheniensium restituit praecipuo suo periculo. Namque Lacedaemonii causam idoneam nacti propter barbarorum excursiones, qua negarent oportere extra Peloponnesum ullam urbem habere, ne essent loca munita, quae hostes possiderent, Athenienses aedificantes prohibere sunt conati.* Dura dixeram haec in codice archetypo scripta, in quibus ad verbum *habere* ex superioribus intellegendum esset *muros*; toleraveram tamen ut in Nepote. Nunc secundum eam rationem, quam in praefatione novissimae editionis exposui, lenem emendationem coniectura repertam praetuli. Legitur ea in codicibus Sangallensi et Leidensi secundo, quorum ille in margine a secunda manu, hic inter verba scriptoris post *urbem* adicit *muros.* Quod vocabulum facile eo loco excidebat, cum ultima littera vocabuli *ullam* et duae primae vocabuli *urbem* eaedem essent atque tres eius primae. Commendaverat hoc supplementum iam Halmius in nuntiis Monacensibus XXX. 203. De Nauckii et Dietschii conatis, quorum ille traditam scripturam satis defendi putavit hac versione *dass man durchaus keine hauptstadt haben dürfe*, hic *oportere extra Peloponnesum ullos urbem habere* scripsit, non est, quod dicam.

Commemoravi in editione novissima ad 8, 2 *Hic cum propter multas eius virtutes magna cum dignitate viveret* Dietschii coniecturam, qui verba *propter multas eius virtutes* spuria iudicavit, non ut magnopere probabilem, sed ut non omni veri similitudine destitutam. Multum ei tribuerem, si verum esset, quod Dietschius affirmat, qui magna cum dignitate vivat, eum vitae dignitatem et splendorem ostentare; quem alii vereantur et suspiciant, eum apud eos in magna dignitate vivere. Quod ex nostra potius consuetudine desumptum est, qua vertere Latinum vocabulum solemus, vernaculis quidem vocabulis longe diversis. Nam cum Cicero dicat de inv. II. 53, 160 *Iustitia est habitus animi suam cuique tribuens dignitatem* et Tusc. V. 15, 45 *quod vero approbaris, id gratum acceptumque habendum; ergo etiam dignitas ei tribuenda est. Quod si ita est, laudabile sit necesse est*, non est, quod dubitemus, quin recte cum dignitate vivere dicantur, qui ita vivant, ut dignitas iis tribuatur. Restat igitur unum illud vitium in pronomine *eius* positum. Quod etsi sine gravissima proximorum verborum oblivione committi non potuit, tamen non licet vehementiore

correctione removere, nisi probabili ratione remotum fuerit plane geminum Cim. 4, 4 *Sic se gerendo, minime est mirandum, si et vita eius fuit secura et mors acerba*; ubi quod Dietschius posuit *gerentis*, quis probabile dixerit? Et eadem oblivione, quamquam paulo leniore, Nepos Ep. 8, 3 scripsit *quos ante se imperatorem nemo Boeotorum ausus fuit aspicere in acie*, quae Dietschius intacta reliquit.

9, 4 *Ea autem rogo, ut de iis rebus, quas tecum colloqui volo, annuum mihi tempus des eoque transacto ad te venire patiaris.* Magnam probabilitatis speciem habet Fleckeiseni coniectura, qui *Te autem rogo* scripsit, praesertim cum ante *ea* legatur *est*. Displicet tamen *te autem* initio positum, tamquam novi quid inesset in persona; quod non est, cum haec praemittantur: *Nunc autem confugi ad te exagitatus a cuncta Graecia, tuam petens amicitiam. Quam si ero adeptus, non minus me bonum amicum habebis, quam fortem inimicum ille expertus est.* Videtur igitur potius dicendum fuisse *Rogo autem te*. Neque explicatio pluralis numeri *ea* a me proposita, ut, quae adiunguntur, duae res visae sint Nepoti, ulla ex parte improbabilis est, cum idem, quae Ep. 6, 2 ex Callistrati oratione retulerat, *Argivos enim fuisse Orestem et Alcmaeonem matricidas; Thebis Oedipum natum, qui cum patrem suum interfecisset, ex matre liberos procreasse*, deinceps *duo opprobria* appellaverit, quamquam re unum esse apparet et ipse eo modo significaverat his verbis *in oratione sua multa invectus esset in Thebanos et Argivos in eisque hoc posuisset, animum advertere debere Arcadas, quales utraque civitas cives procreasset, ex quibus de ceteris possent iudicare*, quae praemissa sunt illis *Argivos enim fuisse* et q. s.

Quas autem recte in prima editione ita defenderam, ut quia *quas res* idem esset atque *quae*, illud Nepoti eodem modo atque neutra pronominum et adiectivorum verbis intransitivis adiungere licuisse dicerem. Iniuria spicilegii prioris p. 13 *quae* me correctum malle dixeram; in editione minore statim ad verum redieram. Est enim hoc satis frequens apud comicos; ex quorum usu complura retinuit Nepos vel potius cotidianus et familiaris aequalium sermo, quem ille a libris suis alienum non iudicavit. Iam Halmius in nuntiis Monacensibus XXX. 206 contulerat Titinii 63 *rem magnam*

aibat velle se mecum loqui. Addo nunc Plautum Aul. II. 1, 15 *ut tuam rem ego tecum hic loquerer*, Menaechm. prol. 50 *ut hanc rem vobis examussim disputem*, Mil. 1437 *minus has res studeant*, Titinium 85 *Ferentinatis populus res Graecas studet.* Denique dixit eodem modo, quem iam in editione minore ascripsi, antiqui sermonis amator Sallustius Iug. 79, 1 *eam rem nos locus admonuit.*

Ar. 2, 2 *Neque aliud est ullum huius in re militari illustre factum quam huius imperii memoria.* Hic qui neglegentiam plane convenientem Nepoti, quod *factum* dixit *memoriam* pro iis, *quae fecisse eum memoriae proditum est*, deleta voce *factum* removere studuerunt, multo gravius vitium invexerunt. Neque enim tum dici potuit *aliud ullum*, debebat necessario aut *aliud* aut *aliud quicquam*.

Paus. 1, 3 haec in codice archetypo scripta fuerunt: *Sed primum in eo est reprehensus, quod, cum ex praeda tripodem aureum Delphis posuisset epigrammate scripto, in quo haec erat sententia: suo ductu barbaros apud Plataeas esse deletos, eiusque victoriae ergo Apollini donum dedisse. Hos versus Lacedaemonii exsculpserunt neque aliud scripserunt quam nomina earum civitatum, quarum auxilio Persae erant victi.* Heusingeri ratione, qui verba *hos versus* et quae sequuntur superioribus adiungenda et ad particulam *quod* referenda putabat, sententiam perverti ideo non minus apertum est, quod etiam nuperrime quidam eam secuti sunt, neque operae pretium est Nauckii artificia, quibus eam defendit, refutare. Ego olim ad anacoluthon confugeram; nunc lenem emendationem adhibui. Talis autem existimari non poterat, quod in deterioribus aliquot codicibus particula *cum* deleta erat: neque enim, quare ea ascripta esset, apparebat. Et quod Siebelisius pro hoc *cum* substituit *tum*, temporis significatio plane supervacanea atque adeo inepta est. Delendum erat *quod*. Id enim explicandi causa ascriptum erat particulae *cum*, quae post verba *in eo est reprehensus* paulo insolentius, sed rectissima sententia posita erat a Nepote. Non dissimile est, quod post *laudandi, gratulandi, gratias agendi* verba *cum* ponitur, de qua re dixit Madvigius ad Cic. de fin. p. 25. Praeterea *inscripto* cum deteriore codice edidi, cum me antea ad *scripto* artificiosius *in tripode* suplesse intellexissem.

5, 5 *Cuius mortui corpus cum eodem nonnulli dicerent inferri oportere, quo ii, qui ad supplicium essent dati.* Si primum enuntiatum per se spectetur, falsum non est *inferre*, quod in codice archetypo scriptum fuisse Parcensis Guelferbytani Sangallensis et unius et alterius deteriorum consensus demonstrat. Tenui tamen *inferri*, quia, si *inferre* scripsisset Nepos, vix in eum errorem incidere poterat, quo *ii* pro *eos* posuit. Quem quod ita removit Nauckius, ut *ii* deleret, non potest satis probabile videri, cum, cur quis hoc addiderit, nulla causa inveniatur.

Cim. 4, 3 *Cotidie sic cena ei coquebatur, ut, quos invocatos vidisset in foro, omnes devocaret; quod facere nullum diem praetermittebat.* Cum a verbo *praetermittebat* et accusativus *nullum diem* et infinitivus *facere* simul aptus esse non posset, Nepoti aut *quin faceret* aut *nullo die* scribendum fuisse monueram. Neque enim Perizonii ratio ad Sanctii Minervam IV. 6, 16 proposita, quam Heusingerus et alii secuti sunt, ut *nullum diem* esset accusativus temporis, propter ambiguitatem probari potest, cum longe familiarius esset Latino homini, ut hunc accusativum obiecti existimaret. Nunc omisso anacolutho, ad quod antea confugeram, cum lenis sit mutatio frequentis librariorum erroris, *nullo die* edidi.

Lys. 4, 3 *Hunc Lysander, domum cum redisset, postquam de suis rebus gestis apud maximum magistratum, quae voluerat, dixerat, testimonii loco librum a Pharnabazo datum tradidit.* Sunt, qui *dixit* scribendum contendant, plusquamperfectum librario ad *voluerat* aberrante ortum esse affirmantes. Facilius etiam erat librarios accusare Dion. 9, 4 *At illi, ut limen eius intrarant, foribus obseratis in lecto cubantem invadunt.* Constat iam inter omnes particulae *postquam* semper plusquamperfectum adiungi, cum certum intervallum indicetur, post quod aliquid factum sit, cuius rei frequentissima sunt exempla; Nepotis a me collecta spicilegii prioris p. 42, quibus addendum Att. 22, 3 *Itaque die quinto, postquam id consilium inierat, decessit.* Reliqui loci, quibus plusquamperfectum cum hac particula et ceteris, quae eandem regulam sequuntur, componitur, nondum satis accurate sunt tractati: nimis enim leviter hanc quaestionem attigit Handius Tursell. IV. 499. Ac primum quidem necessario plusquamperfectum ponitur, cum apodosis hoc tempus habet: qui enim aliter, quod ante hoc tempus factum esset, significaretur? velut apud Caecilium

Statium 44 *Nam si illi, postquam rem paternam amiserant, egestate aliquantisper iactati forent*, Nep. Alc. 6, 2 *Nam postquam exercitui praeesse coeperat, neque terra neque mari hostes pares esse potuerant*, Sall. Cat. 24, 3 *post, ubi aetas tantummodo quaestui neque luxuriae modum fecerat, aes alienum grande conflaverant*, Iug. 108, 1 *Ibi cum Boccho Numida quidam Aspar nomine multum et familiariter agebat, praemissus* (i. e. qui praemissus erat) *ab Iugurtha, postquam Sullam accitum audierat.* Huc referendus est etiam Ciceronis locus de imp. Cn. Pomp. 9, 25 *non fuit eo contentus, quod ei praeter spem acciderat, ut illam, posteaquam pulsus erat, terram umquam attingeret:* haec enim ad *acciderat* referri apparet. Deinde plusquamperfectum semper ponitur, ubi iterata res commemoratur, ut a Cic. Verr. IV. 3, 5 *Messanam ut quisque nostrum venerat, haec visere solebat*; Nep. Alc. 1, 4 *idem, simulac se remiserat neque causa suberat, cur animi laborem perferret, luxuriosus, dissolutus, libidinosus, intemperans reperiebatur;* Sall. Cat. 6, 5 *post, ubi pericula virtute propulerant, sociis atque amicis auxilia portabant;* 9, 3 *audacia in bello, ubi pax evenerat, aequitate seque remque publicam curabant;* 13, 4 *haec iuventutem, ubi familiares opes defecerant, ad facinora incendebant*; 16, 2 *post, ubi eorum famam atque pudorem attriverat, maiora alia imperabat;* Iug. 60, 3 *ubi hostes paulum modo pugnam remiserant, intenti proelium equestre prospectabant.* Praeterea plerumque plusquamperfectum ponitur, cum apodosi non simplex actio, sed status quidam significatur. Sic Cicero dixit Brut. 89, 305 *quamquam is quidem silebat, ut erat semel a contione universa relictus*; ad Att. V. 10, 1 *Ut Athenas veneram, expectabam ibi iam quartum diem Pomptinum*; Sall. Iug. 44, 4 *postquam decreverat non egredi provincia quantum temporis aestivorum in imperio fuit, plerumque milites stativis castris habebat*; 88, 1 *Metellus laetissimis animis excipitur, plebi patribusque, postquam invidia decesserat, iuxta carus*, i. e. cum carus esset. Quamquam hoc casu invenitur etiam perfectum apud Cic. p. Roscio Am. 6, 16 *Posteaquam victoria constituta est ab armisque recessimus, cum proscriberentur homines atque ex omni regione caperentur ii, qui adversarii fuisse putabantur, erat ille Romae frequens atque in foro et ore omnium cotidie versabatur* et Nep. Alc. 6, 3 *Hic ut e navi egressus est, quamquam Theramenes et Thrasybulus eisdem rebus praefuerant simul-*

que venerant in Piraeum, tamen unum omnes illum prosequebantur; quibus tamen locis a re gesta pluribus verbis interiectis per anacoluthon quoddam ad statum transiri videtur. Huc retulerim etiam Ciceronis locum ex div. in Caec. 21, 69 *tum — cum P. Africanus, posteaquam bis consul et censor fuerat, L. Cottum in iudicium vocabat:* quo intervallum significari Madvigius putavit gramm. lat. §. 338 nota 1; sed id intervallum neque indicatur neque ad rem, de qua refertur, ullam vim habebat. Denique item plusquamperfectum ponitur, cum apodosi quidem simplex actio significatur, enuntiato autem particulae adiuncto status vel res actione effecta. Ita apud Cic. Verr. IV. 24, 54 *Posteaquam tantam multitudinem collegerat emblematum, ut ne unum quidem cuiquam reliquisset, instituit officinam Syracusis in regia maximam*, ubi plusquamperfectum significat *collectam habebat*; Caelium ad Cic. fam. VIII. 8, 2 *M. Servilius postquam, ut coeperat, omnibus in rebus turbarat nec, quod non venderet, quicquam reliquerat maximaque nobis traditus erat invidia neque Laterensis praetor postulante Pausania, nobis patronis, quo ea pecunia pervenisset, recipere voluit, Q. Pilius, necessarius Attici nostri, de repetundis eum postulavit*, quem locum, cum *cuiquam, maximaeque invidiae, quod Pilius* legeretur, rectissime sua et aliorum coniectura emendavit et explicavit Madvigius ad Cic. de fin. p. 820. Et eandem rationem forsitan adhibere liceat Sallustii locis Iug. 79, 4 *Postquam utrimque legiones, item classes saepe fusae fugataeque et alteri alteros aliquantum attriverant, per indutias sponsionem faciunt;* 97, 1 *Iugurtha, postquam oppidum Capsam aliosque locos munitos et sibi utiles, simul et magnam pecuniam amiserat, ad Bocchum nuntios mittit;* itemque Liviano XXXIII. 3, 1 *Philippus quoque primo vere, postquam legati ab Roma nihil pacati retulerant, dilectum per omnia oppida regni habere instituit.* Verum praeter tales locos, in quibus legitimus est plusquamperfecti usus, non desunt, ubi plusquamperfectum in narratione de simplici actione eodem modo atque legitimum perfectum ponitur. Ter. Andr. I. 2, 6 *Qui postquam audierat non datum iri filio uxorem suo, Numquam cuiquam nostrum verbum fecit neque id aegre tulit*; Phorm. V. 8, 15 *Nam omnes posthabui mihi res, ita uti par fuit, Postquam tanto opere id vos velle animum adverteram;* Cic. ad Att. II. 12, 4 *Litteras scripsi hora decima Cerialibus, statim ut tuas legeram;* Sall. Iug. 11, 2 *Postquam illi more regio iusta magnifice fecerant, reguli in unum*

convenerunt. Quibus adiungendi sunt duo Nepotis loci initio huius disputationis a nobis propositi; neque, etsi in uno et altero ob proclivem librariorum errorem non satis certa videbitur scriptura, propter reliquos (firmissimi enim sunt Terentiani et Ciceronianus) ab optimorum codicum auctoritate discedere licet.

Alc. 5, 6 dudum in editione minore recepi, quod in maiore et spicilegii prioris p. 12 commendaveram: *Alcibiades simul cum collegis receperat Ioniam, Hellespontum, multas praeterea urbes Graecas, quae in ora sitae sunt Thraciae, quarum expugnarant complures, in his Byzantium* et q. s., cum in codicibus legeretur *Asiae.* Dietschius *Asiae et Threciae* edendum putavit, scilicet quo propius ad historiae fidem accederetur. Quod plane contrarium est. Nam, ut annotaveram in editione maiore, praeter Ioniam et Hellespontum nullas urbes Asiaticas Alcibiades cum collegis receperat.

6, 3 nunc edidi *Hic ut e navi egressus est, quamquam Theramenes et Thrasybulus eisdem rebus praefuerant simulque venerant in Piraeum, tamen unum omnes illum prosequebantur, et, id quod numquam antea usu venerat nisi Olympiae victoribus, coronis laureis taeniisque vulgo donabatur.* Hic Westermanni *laureis*, Mureti *taeniisque* iam in prima editione minore receperam pro *aureis aeneisque*, de quibus dixi spicilegii prioris p. 12 et in addendis ad eum locum. *Aureae coronae* verbo *vulgo* excluduntur. Quod praeterea in codicibus legitur *persequebantur*, eo defendi posse putaram, quod saepius illud verbum nulla inimici animi significatione solam vim habet perpetuo ad aliquem finem sequendi. Verum hic ea significatio apta non est, requiritur observantiae et honoris, quae inest in *prosequendo*, quod idem Muretus restituit.

8, 3 haec Alcibiades dicit de Lysandro secundum codices: *sibi autem esse facile Seuthem, regem Threcum, deducere, ut eum terra depelleret.* In quibus non recte antea verbum *deducere* toleravi atque *commovendi* sententia poni potuisse defendi. Nam in hoc verbo, ut praepositioni accommodatum est, semper eminet significatio eius loci vel rei, ex quibus vel de quibus aliquis deducitur. Quod si quis *ad* aliquem locum vel aliquam rem deduci dicitur, quod sane fit saepissime, praeter certas quasdam et usitatas formulas, velut cum *deducere* idem est atque *prosequi* aut nova nupta *deduci* dicitur, constanter, quo quis deducatur, adicitur. At hic neque diversae sententiae, in

qua fuerit Seuthes, significatio apta est, cum eum non abhorruisse ab Alcibiadis consilio verbis *sibi esse facile* declaretur, et si maxime legeretur *eo deducere*, hoc quoque ita diceretur, tamquam id, quo Seuthem perduceret Alcibiades, extremum quiddam et longe ab ea sententia, in qua tum erat, remotum esset. Itaque nunc edidi *adducere*.

11, 1 ita in novissima editione scripsi *Hunc infamatum a plerisque tres gravissimi historici summis laudibus extulerunt: Thucydides, qui eiusdem aetatis fuit, Theopompus, post aliquanto natus, et Timaeus; qui quidem duo maledicentissimi nescio quo modo in illo uno laudando conspirant.* Et *conspirant* quidem, pro quo in codice archetypo legebatur *consuerunt*, ex egregia emendatione Mauricii Hauptii, commemorata in addendis ad p. 37 spicilegii prioris, iam in prima editione minore receperam. Tenui ante novissimam editionem, quod in codice *B* fuit, *Theopompus, qui post aliquanto natus*, idque ita defendi, ut ex superioribus *fuit*, quod hic significaret *vixit*, supplendum et *natus fuit* eadem sermonis ubertate positum dicerem, qua Pel. 2, 4 *quorum imperii maiestas Leuctrica pugna ab hoc initio perculsa concidit*, et quae in Caesare meo p. 64 collegi, Caes. b. Gall. II. 19, 6 *qui in silvis abditi latebant*, VII. 59, 5 *legiones a praesidio atque impedimentis interclusas maximum flumen distinebat*, alia. Verum haec omnia ita sunt comparata, ut, quamvis similis sit participii et verbi significatio et illud omitti potuerit, tamen in utroque peculiare aliquid insit, quo alterum accuratius definiatur, aut certe, quod per se ipsum erat supervacaneum, adiunctum habeat, quo sententia augeatur. Ita hic quoque *qui post aliquanto natus fuit* ea ratione, quam demonstravi, recte diceretur, si *fuit* aliqua re adiecta ad novae rei significationem traduceretur; nudum quidem *fuit* plane est supervacaneum neque ferri potest. Non male olim Fleckeisenus particula *et*, quae sequitur, in *est* mutata, scripsit *Theopompus, qui post aliquanto natus est, Timaeus*. Sed cum, quod supra posui, praeter Leidensem Boecleri inventum sit etiam in Parcensi, hoc sine dubio praeferendum est. Nam etsi non abest suspicio, hoc quoque coniectura esse inventum, tamen ea suspicio nequaquam certa est neque improbabile ipsius codicis archetypi scripturam nos tenere. Deinde haec verborum conformatio concisa brevitate longe praestat, et quomodo orta sit codicis *B* scriptura facile explicatur: proclive enim fuit superius *qui* male repetere. *Et* autem ante tertium nomen positum iis, quae in superioribus editionibus dixi, satis defendi.

PART 2

INDEX
SCHOLARVM HIBERNARVM

PVBLICE ET PRIVATIM

IN

VNIVERSITATE LITTERARVM IENENSI

INDE A DIE XIX M. OCTOBRIS A. MDCCCLXVIII
VSQVE AD DIEM XX M. MARTII A. MDCCCLXIX

HABENDARVM

AVCTORITATE

PRORECTORIS MAGNIFICI

CVNONIS FISCHER

PHILOSOPHIAE DOCTORIS ET PROFESSORIS P. O.

ET

SENATVS ACADEMICI

EDITVS.

PRAEMISSA EST

CAROLI NIPPERDEII SPICILEGII ALTERIVS IN CORNELIO NEPOTE PARS II.

IENAE

PROSTAT IN LIBRARIA BRANIANA

cuius possessores sunt Fridericus Bran Dr. Ph. et Hermannus Mauke.

Thras. 1, 1, ubi in codice archetypo scriptum fuit et antea a me quoque editum *Si per se virtus sine fortuna ponderanda sit, dubito, an hunc primum omnium ponam*, postea ex codice Axeniano recepi *ponderanda est;* quod cum Fleckeisenus probasset, quia causa nulla fuisset Nepoti coniunctivi ponendi, mihi coniunctivum omnino ponere non potuisse visus est. Neque enim ullo modo dubium ei esse poterat, quin in aestimandis hominibus virtus sola sine fortuna ponderanda esset. Contra Dietschium non disputo.

Paulo post magnam offensionem habebant haec verba: *Nam quod multi voluerunt paucique potuerunt ab uno tyranno patriam liberare, huic contigit, ut a* XXX *oppressam tyrannis e servitute in libertatem vindicaret.* Hic Heusingerus *quod* particulam esse iudicavit. Verum ubicumque enuntiatum particulae *quod* adiunctum ita praemittitur, ut deinceps de re illo enuntiato relata aliquid dicatur, hanc rem ita comparatam esse necesse est, ut causa de ea dicendi fuerit: aliter enim ineptum erat de ea re dici. Itaque longe plurimis locis illo enuntiato particulae *quod* adiuncto refertur, quid aliquis senserit aut dixerit, aliis per se intellegitur rem ab aliquo esse prolatam, aliis denique ipse scriptor commemorat, quod alicui in mentem venire posse putet eiusmodi, ut ad eam rem respondendum sit. Iam de hac re altero enuntiato, quod subsequitur, aut iudicium quoddam fertur, ut, quid is, qui loquitur, de ea re sentiat, significetur, aut, si dubitari de aliqua re aut quaeri aliquid relatum est, quomodo ea res se habeat, exponitur. Iudicium autem aut ipsum ponitur aut re aliqua, ex qua intellegi possit, significatur. Simplicissima et primaria forma huius compositionis est, cum *quod* particula ad certum quoddam vocabulum, maxime pronomen demonstrativum, vel verbum subsequens pertinet, in qua nihil est peculiare,

nisi quod inversus est enuntiatorum ordo, velut apud Nep. Ep. 5, 6 *Quod autem me Agamemnonem aemulari putas, falleris* vel apud Ter. Ad. V. 9, 29 *Ut id ostenderem, quod te isti facilem et festivum putant, id non fieri ex vera vita neque adeo ex aequo et bono* aut Caes. b. G. I. 13, 5 *Quod improviso unum pagum adortus esset, cum ii, qui flumen transissent, suis auxilium ferre non possent, ne ob eam rem aut suae magnopere virtuti tribueret aut ipsos despiceret.* Altera forma est (de qua sola hic dicere attinet), cum nihil sequitur, unde *quod* particula apta sit; quam compositionem ellipticam esse iudico, ita ut omissum sit id, quo proprie *quod* particula pertinet, velut *de hac re ita sentio, de hac re hoc dico, ad eam rem ita respondeo* et similia. Plenae sunt exemplorum epistolae Ciceronis et aliorum cum iis coniunctae, quae apponere libet, quo apertius ratio huius compositionis perspiciatur. Ad fam. I. 7, 2 *Quod scire vis, qua quisque in te fide sit et voluntate, difficile dictu est de singulis.* 9, 1 *Quod autem tibi grata mea erga te studia scribis esse, facis tu quidem abundantia quadam amoris, ut etiam grata sint ea, quae praetermitti sine nefario scelere non possunt.* 9, 23 *Quod rogas, ut mea tibi scripta mittam, quae post discessum tuum scripserim, sunt orationes quaedam, quae Menocrito dabo.* 24 *Quod de Quinti fratris negotio scribis te priore aestate conficere non potuisse, nunc autem omnia facturum, ut conficias, id scito esse eiusmodi, ut frater meus vere existimet adiuncto isto fundo patrimonium fore suum per te constitutum.* II. 17, 3 *Quod scribis Apamea praesidium deduci non oportuisse, videbam idem ceteros existimare.* 4 *Quod scribis de drachmis centum milibus, nihil est, quod in isto genere cuiquam possim commodare.* 5 *Quod quaeris, quid existimem de legionibus, quae decretae sunt in Syriam, antea dubitabam, venturaene essent, nunc mihi non est dubium, quin venturae non sint.* III. 5, 3 *Quod itinerum meorum ratio te nonnullam in dubitationem videtur adducere, visurusne me sis in provincia, ea res sic se habet.* 8, 10 *De Parthis quod quaeris, fuisse nullos puto.* 9, 3 *Quod autem a me tale quiddam desideras, sane mihi considerandum est, quonam te remunerer potissimum genere.* IV. 2, 3 *Quod existimas meam causam coniunctam esse cum tua, certe similis in utroque nostrum error fuit.* V. 2, 3 *Quod autem ita scribis*

'pro mutuo inter nos animo', quid tu existimes esse in amicitia mutuum, nescio. 5 *Quod scribis de reconciliata nostra gratia, non intellego, cur reconciliatam esse dicas, quae numquam imminuta est.* 6 *Quod scribis non oportuisse Metellum fratrem tuum ob dictum a me oppugnari, primum hoc velim existimes animum mihi istum tuum vehementer probari* et q. s. 11, 2 *Quod mihi feminam primariam, Pompeiam, uxorem tuam, commendas, cum Sura nostro statim locutus sum, ut ei meis verbis diceret, ut, quidquid opus esset, mihi denuntiaret.* 20, 3 *Quamobrem de Volusio quod scribis, non est id rationum.* 7 *Quod scribis de beneficiis, scito a me et tribunos militares et praefectos et contubernales dumtaxat meos delatos esse.* VII. 8, 2 *Quod scribis de illo Preciano iureconsulto, ego te ei non desino commendare.* 25, 1 *Quod epistolam conscissam doles, noli laborare, salva est.* 33, 1 *Quod Hirtio invides* (sic enim scribendum est, non *invideres*), *nisi eum amares, non erat causa invidendi.* VIII. 6, 5 *Quod tibi supra scripsi Curionem valde frigere, iam calet.* IX. 11, 2 *Quod scribis proelia te mea causa sustinere, non tam id laboro, ut, si qui mihi obtrectent, a te refutentur, quam intellegi cupio me a te amari.* 15, 3 *Quod autem altera epistola purgas te non dissuasorem mihi emptionis Neapolitanae fuisse, sed auctorem commorationis urbanae, neque ego aliter accepi et* (hoc et ego adieci) *intellexi tamen non existimasse te mihi licere res has relinquere.* X. 22, 2 *Quod ad me scripseras de re agraria, si consultus senatus esset, ut quisque honorificentissimam de te sententiam dixisset, eam secutus essem.* XI. 6, 1 *Quod mihi tuam dignitatem commendas, eodem tempore existimo te mihi meam dignitatem commendare.* 21, 2 *Nam quod idem Segulius veteranos queri, quod tu et Caesar in decemviris non essetis, utinam ne ego quidem essem.* 3 *Quod autem scribis te, quod pro te ipso non facias, id pro me, ut de me timeas aliquid, omni te de me metu libero.* 4 *Quod mihi praecipis, ut caveam, ne timendo magis timere cogar, et sapienter et amicissime praecipis.* 24, 2 *Quod scribis in Italia te moraturum, dum tibi litterae meae veniant, si per hostem licet, non erraris.* XII. 2, 2 *Quare quod scribis te confidere auctoritate et eloquentia nostra aliquid profici posse, nonnihil, ut in tantis malis, est profectum.* XIV. 1, 5 *Quod ad me scribis te vicum vendituram, quid, obsecro te, quid futurum est?* 2, 3 *Quod*

de domo scribis, hoc est de area, ego vero tum denique mihi videbor restitutus, si illa nobis erit restituta. 3, 3 Ut tuto sim, quod laboras, id mihi nunc facillimum est. 5 Quod scribis te, si velim, ad me venturam, ego vero te istic esse volo. ep. 6 Quod nostra tibi gratias agit, id ego non miror te mereri, ut ea tibi merito tuo gratias agere possit. 12 Quod nos in Italiam salvos venisse gaudes, perpetuo gaudeas velim. 13 Quod scripsi ad te proximis litteris de nuntio remittendo, quae sit istius vis hoc tempore et quae concitatio multitudinis, ignoro. 19 Quod me propius vultis accedere, video ita esse faciendum. XVI. 21, 2 Quare quod polliceris te buccinatorem fore existimationis meae, firmo id constantique animo facias licet. Ad Q. fr. I. 2, 2 Quod autem idcirco a te missus est, mihi ut se purgaret, id necesse minime fuit. 12 Quod ad me de Hermia scribis, mihi mehercule valde molestum fuit. II. 2, 1 Quod ad me de Lentuli et Sestii nomine scripsisti, locutus sum cum Cincio. 8, 2 Quod idibus et postridie fuerat dictum de agro Campano actum iri, non est actum. 9, 1 Quod me admones de nostra Urania suadesque, ut meminerim Iovis orationem, quae est in extremo illo libro, ego vero memini. 12, 3 Quod vult renovare honores eosdem, quo minus togam praetextam quotannis interpolet, decernendum nihil censeo. III. 1, 10 De tribunatu quod scribis, ego vero nominatim petivi Curtio. 11 Tibi quod rogas, quoniam ipsi fontes iam sitiunt, si quid habebo spatii, scribam. 12 Quod me in eadem epistola cohortaris ad ambitionem et ad laborem, faciam equidem; sed quando vivemus? 14 De hortis quod me admones, nec fui umquam valde cupidus et nunc domus suppeditat mihi hortorum amoenitatem. 16 Quod scribis te audisse in candidatorum consularium coitione me interfuisse, id falsum est. 18 Quod interiore epistola scribis me id. Sept. Pompeio legatum iri, id ego non audivi. 5 et 6, 1 Quod quaeris, quid de illis libris egerim, quos, cum essem in Cumano, scribere institui, non cessavi neque cesso. 4 Quod me de versibus faciendis rogas, incredibile est, quam egeam tempore. 8, 3 Quod me institutum ad illum poëma iubes perficere, etsi distentus cum opera tum animo sum multo magis, tamen revertar ad institutum. 9, 6 Quod me hortaris, ut absolvam, habeo absolutum suave ἔπος ad Caesarem. Ad Att. I. 3, 3 Quod ad me saepe scripsisti de nostro

amico placando, feci et expertus sum omnia. 4, 3 Quod ad me de Hermathena scribis, per mihi gratum est et ornamentum Academiae proprium meae. 5, 2 Quod ad me scribis de sorore tua, testis erit tibi ipsa, quantae mihi curae fuerit, ut Quinti fratris animus in eam esset is, qui esse deberet. 5 Quod scribis, etiamsi cuius animus in te esset offensior, a me recolligi oportere, teneo, quid dicas. 11, 2 Quod in epistola tua scriptum erat me iam arbitrari designatum esse, scito nihil tam exercitum esse nunc Romae quam candidatos omnibus iniquitatibus nec, quando futura sint comitia, sciri. 16, 14 Quod ad me scribis te in Asiam statuisse non ire, equidem mallem ut ires. 20, 2 Quod ad me de re publica scribis, disputas tu quidem et amanter et prudenter. II. 1, 4 Quod quaeris, quid sit, quod te arcessam, ac simul impeditum te negotiis esse significas neque recusas, quin non modo, si opus sit, sed etiam, si velim, accurras, nihil sane est necesse. 6 Quod de agraria lege quaeris, sane iam videtur refrixisse. Quod me quodam modo levi brachio de Pompeii familiaritate obiurgas, nolim ita existimes, me mei praesidii causa cum illo coniunctum esse. 6, 1 Quod tibi superioribus litteris promiseram fore, ut opus extaret huius peregrinationis, nihil iam magno opere confirmo. 12, 3 Quod me, ut scribam aliquid, hortaris, crescit mihi quidem materies, ut dicis, sed tota res etiam nunc fluctuat. 13, 2 Romae quod scribis sileri, ita putabam. 14, 2 De pangendo quod me crebro adhortaris fieri nihil potest. 16, 4 Quod de Quinti fratris epistola scribis, ad me quoque fuit πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ — quid dicam, nescio. 20, 5 Quod scripseram te Furium scripturum, nihil necesse est tuum nomen mutare. III. 7, 2 Quod me ad vitam vocas, unum efficis, ut a me manus abstineam. 8, 3 Quod suades, ne longius discedamus, puto me ita esse facturum. 10, 2 Nam quod me tam saepe et tam vehementer obiurgas et animo infirmo esse dicis, quaeso, ecquod tantum malum est, quod in mea calamitate non sit. 13, 1 Quod ad te scripseram me in Epiro futurum, posteaquam extenuari spem nostram et evanescere vidi, mutavi consilium. 2 Quod me saepe accusas, cur hunc meum casum tam graviter feram, debes ignoscere, cum ita me afflictum videas, ut neminem umquam nec videris nec audieris. Nam quod scribis te audire me etiam mentis errore ex dolore af-

fici, mihi vero mens integra est. 15, 5 *Quod te cum Culleone scribis de privilegio locutum, est aliquid; sed multo est melius abrogari.* 20, 3 *Quod me vetus quicquam suspicari accidisse ad animum tuum, quod secus a me erga te commissum aut praetermissum videretur, geram tibi morem et liberabor ista cura.* 24, 1 *Nam quod scribis, ni ita vobis placuisset, illos hoc idem per populum asseculuros fuisse, invitis tribunis pl. fieri nullo modo potuit.* IV. 6, 3 *Quod me admones, ut scribam illa Hortensiana, in alia incidi.* 8, 3 *De poëmate quod quaeris, quid, si cupiat effugere?* 16, 3 *Quod in iis libris, quos laudas, personam desideras Scaevolae, non eam temere dimovi.* 17, 2 *De Messala quod quaeris, quid scribam, nescio.* V. 20, 6 *Quod me maxime hortaris et quod pluris est quam omnia, in quo laboras, ut etiam Ligurino μώμῳ satisfaciamus, moriar, si quicquam fieri potest elegantius.* VI. 1, 19 *Quod de Philotimo et de solutione HS* XX DC *scribis, Philotimum circiter Kal. Ian. in Chersonesum audio venisse, ac mihi ab eo nihil adhuc.* 2, 7 *Nam quod senatus consultum esse dicebat, ut ius ex syngrapha diceretur, eo consilio factum est, quod pecuniam Salaminii contra legem Gabiniam sumpserant.* VII. 7, 3 *Pomptinum cupio valere; et quod scribis in urbem introisse, vereor, quid sit.* 5 *Nam quod scribis mirificam esse expectationem mei neque tamen quemquam bonorum aut satis bonorum dubitare, quid sensurus sim, ego, quos tu bonos esse dicas, non intellego.* 8, 4 *Quod putasti fore, ut, antequam istuc venirem, Pompeium viderem, factum est ita,* et paulo post *Quod quaeris, ecqua spes pacificationis sit, quantum ex Pompeii multo et accurato sermone perspexi, ne voluntas quidem est.* 12, 1 *Nam quod rogas, curem, ut scias, quid Pompeius agat, ne ipsum quidem scire puto.* 23, 3 *Quod quaeris, hic quid agatur, tota Capua et omnis hic delectus iacet.* 26, 2 *Quod addis, ne propensior ad turpem causam videar, certe videri possum.* VIII. 7, 2 *Quod enim tu meum laudas et memorandum dicis, malle quod dixerim me cum Pompeio vinci quam cum istis vincere, ego vero malo, sed cum illo Pompeio, qui tum erat.* VIII. 11, 1 *Quod me magno animi motu perturbatum putas, sum equidem, sed non tam magno, quam tibi fortasse videor.* 5 *Quod quaeris, quid Caesar ad me scripserit, quod saepe.* 15, 2 *De Lepido et Tullo quod quaeris,*

illi vero non dubitant, quin Caesari praesto futuri in senatumque venturi sint. 3 *Quod videris non dubitare, si consules transeant, quid nos facere oporteat, certe transeunt.* IX. 2, 2 *Nam quod negas te dubitare, quin magna in offensa sim apud Pompeium, non video causam, cur ita sit* et deinceps *Nam quod ais, si hic temperantius egerit, consideratius consilium te daturum, qui hic potest se gerere non perdite?* 7, 3 *Quod autem suades, ut ab eo petam, ut mihi concedat, ut idem tribuam Pompeio, quod ipsi tribuerim, id me iam pridem agere intelleges.* 8, 1 *De L. Torquato quod quaeris, non modo L., sed etiam A. profectus est. De Reatinorum corona quod scribis, moleste fero in agro Sabino sementem fieri proscriptionis.* 9, 1 *Quod laudas, quia oblivisci me scripsi ante facta et delicta nostri amici, ego vero ita facio,* et postea *Quod autem quasi vereri videris, ne mihi tua consilia displiceant, me vero nihil delectat aliud nisi consilium et litterae tuae.* 2 *Quod consules laudas, ego quoque animum laudo, sed consilium reprehendo.* 10, 6 *Quod quaeris a me, fugamne an moram utiliorem putem, ego vero in praesentia subitum discessum inutilem puto.* 13, 3 *Quod mea praedicatione factum esse scribis magis quam illius merito, ut tantum ei debere viderer, est ita.* 15, 5 *Quod scribis asperius me, quam mei patiantur mores, de Dionysio scripsisse, vide, quam sim antiquorum hominum: te medius fidius hanc rem gravius putavi laturum esse quam me.* X. 1, 3 *Quod scribis te putare me attractum iri, si de pace agatur, mihi omnino non venit in mentem, quae possit actio esse de pace.* 5, 2 *Quod mihi mandas de Quinto regendo,* Ἀρκαδίαν. 6, 2 *Quod dein me mones, et amice et prudenter me mones.* XI. 2, 2 *De dote quod scribis, per omnes deos te obtestor, ut totam rem suscipias* et paulo post *cui quidem deesse omnia quod scribis, obsecro te, noli pati.* 3 *Quod me hortaris, ut firmo sim animo, vellem posses aliquid afferre, quamobrem id facere possem.* 3, 2 *Quod negas praecipuum mihi ullum incommodum impendere, etsi ista res nonnihil habet consolationis, tamen etiam praecipua multa sunt, quae tu profecto vides et gravissima esse et me facillime vitare potuisse.* 5, 2 *Quod scribis placere, ut propius accedam iterque per oppida noctu faciam, non sane video, quemadmodum id fieri possit.* 3 *Quod tanto intervallo nihil omnino ad vos, profecto intellegis rem mihi deesse.* 4 *Quod de Vatinio quaeris,*

neque illius neque cuiusquam praeterea officium deesset, si reperire possent, qua in re me iuvarent. 7, 5 *Quod te excusas, ego vero et tuas causas nosco et mea interesse puto te istic esse.* 8 *Quod rogas, ut in bonam partem accipiam, si qua sint in tuis litteris, quae me mordeant, ego vero in optimam.* 12, 4 *Quod me admones, ut scribam ad Antonium et ad ceteros, si quid videbitur tibi opus esse, velim facias id, quod saepe fecisti* et deinceps *Quod me audis fractiorem esse animo, quid putas, cum videas accessisse ad superiores aegritudines praeclaras generi actiones?* 13, 1 *De Servii patris litteris quod scribis, item Quintum in Syriam venisse quod ais esse, qui nuntient, ne id quidem verum est. Quod certiorem te vis fieri, quo quisque in me animo sit aut fuerit eorum, qui huc venerunt, neminem alieno intellexi.* 16, 2 *Quod autem scribis quandam laetitiam bonorum esse commotam, ut sit auditum de litteris, tu quidem nihil praetermittis, in quo putes aliquid solacii esse.* 4 *Quod suades, ut ad Quintum scribam de his litteris, facerem, si me quicquam istae litterae delectarent* et deinceps *Quod ais illum ad te scribere me sibi nullas litteras remittere, semel ab ipso accepi; ad eas Cephalioni dedi.* 17, 2 *Quod Oppium tecum scribis locutum, non abhorret a mea suspicione eius oratio.* 21, 3 *Quod me mones, ut ea, quae ....* (excidisse quaedam videntur), *ad tempus accommodem, facerem, si res pateretur* et in fine *Quod scribis illum per me Quinto fore placatiorem, scripsi ad te antea eum statim Quinto filio omnia tribuisse, nostri nullam mentionem.* 22, 1 *Nam quod te vereri scribis, ne illi obsint, ne rogari quidem se passus est de illo.* 24, 3 *Nam quod scribis nobis nostra et tua fore parata, tua credo; nostra quae poterunt esse?* 5 *Quod me mones de vultu et oratione ad tempus accommodanda, etsi difficile est, tamen imperarem mihi, si mea quicquam interesse putarem. Quod scribis litteris putare Africanum negotium confici posse, vellem scriberes, cur ita putares.* 25, 3 *Quod ad te iam pridem de testamento scripsi, apud* εὔπιστον *illas velim.* XII. 1, 2 *Sed quod scribis igniculum matutinum* γεροντικόν, γεροντικώτερον *est memoriola vacillare.* 13, 2 *Quod scribis de Appuleio, nihil puto opus esse tua contentione.* ep. 17 *Quod pro Cornificio me abhinc amplius annis* XXV *spopondisse dicit Flavius, etsi reus locuples est, tamen velim des operam, ut investiges ex*

consponsorum tabulis, sitne ita. 18, 3 *Domestica quod ais ordine administrari, scribes, quae sint ea.* 18a, 2 *Quod scribis Terentiam de obsignatoribus mei testamenti loqui, primum tibi persuade me istaec non curare* et deinceps *Nam quod non advocavi ad obsignandum, primum mihi non venit in mentem.* 19, 4 *Quod ad Tironem de Terentia scribis, obsecro te, suscipe totum negotium.* 20, 1 *Quod me hortaris idque a ceteris desiderari scribis, ut dissimulem me tam graviter dolere, possumne magis, quam cum totos dies consumo in litteris?* 21, 5 *Quod me in forum vocas, eo vocas, unde etiam bonis meis rebus fugiebam* et *Quod autem homines a me postulare scribis, ut Romae sim, iam pridem scito esse, cum unum te pluris quam omnes illos putem.* 22, 1 *De Terentia quod mihi omne onus imponis, non cognosco tuam in me indulgentiam.* 28, 2 *Quod me ad meam consuetudinem revocas, fuit meum quidem iam pridem rem publicam lugere* et *Quod me ipse per litteras consolatus sum, non paenitet me, quantum profecerim.* 30, 1 *Quod Silius te cum Clodio loqui vult, potes id mea voluntate facere.* 35, 1 *Quod enim scribis extremi, vide, ne is ipse locus sit, cuius causa de tota re est a nobis cogitatum.* 37, 4 *Quod me a maestitia avocas, multum levaris, si locum fano dederis.* 38, 3 *Quod putas oportere pervideri iam animi mei firmitatem graviusque quosdam scribis de me loqui* et q. s. 40, 2 *Quod scribis te vereri, ne et gratia et auctoritas nostra hoc meo maerore minuatur, ego, quid homines aut reprehendant aut postulent, nescio.* 5 *Quod quaeris, quam diu hic, paucos dies.* 41, 1 *Et quod tu scire volebas, ego quando ex hoc loco, postridie idus Lanuvii constitui manere.* 44, 2 *Quod per Mustelam agis, habes hominem valde idoneum.* XIII. 3, 1 *Quod dies longior est, puto fore istam etiam a praecone diem.* 6, 3 *Quod epistolam meam ad Brutum poscis, non habeo eius exemplum.* 12, 2 *Quod ad me de Varrone scribis, scis me antea orationes aut aliquid id genus solitum scribere, ut Varronem nusquam possem intexere.* 21, 7 *Quod autem de illa nostra cogitatione scribis, ea, quae novi, valde probo.* 33, 3 *De Tuditano autem quod putas,* εὔλογον *est tum illum aut quaestorem aut tribunum militum; idque potius fuisse credo.* 5 *De Bruto quod scribis, feci, ut ei liberum esset.* 45, 2 *Quod me hortaris, ut eos dies consumam in philosophia explicanda, currentem tu quidem.* XIV. 9, 1 *Sed*

quod quaeris, quid arcessierim Chrysippum, tabernae mihi duae corruerunt. 10, 3 *Quod quaeris, iamne ad centena Cluvianum, adventare videtur.* 14, 6 *Quod me cogitare iubes, cogitabo equidem.* 19, 6 *Quod autem laudas me, quod nihil ante de profectione constituam, quam, ista quo evasura sint, videro, muto sententiam.* 20, 3 *Quod errare me putas, qui rem publicam putem pendere e Bruto, sic se res habet: aut nulla erit aut ab isto istisve servabitur. Quod me hortaris, ut scriptam contionem mittam, accipe a me* καθολικὸν θεώρημα *earum rerum, in quibus satis exercitati sumus.* 4 *Quod Hirtium per me meliorem fieri volunt, do equidem operam.* XV. 1 A, 5 *Quod Brutus rogat, ut ante kalendas, ad me quoque scripsit, et fortasse faciam.* 3, 1 *Quod scribis parendum victoribus, non mihi quidem, cui sunt multa potiora.* 4, 2 *Quod scribis te nescire, quid nostris faciendum sit, iam pridem me illa* ἀπορία *sollicitat* et *Quod te a Bruto scribis, ut certior fieret, quo die in Tusculano essem futurus, ut ad te ante scripsi, VI kal.* 13, 2 *Quod scribis legiones duas Brundisium venisse, vos omnia prius.* 17, 1 *Quod scribis tibi deesse HS C, quae Ciceroni curata sint, velim ab Erote quaeras, ubi sit merces insularum.* 20, 2 *Quod ais extrema quaedam iam homines de re publica loqui, ego, quo die audivi illum tyrannum in contione clarissimum virum appellari, subdiffidere coepi.* XVI. 11, 2 *Quod vereris, ne* ἀδόλεσχος *mihi tu, quis minus?* et *Quod me admones, tu vero etiamsi reprehenderes, non modo facile paterer, sed etiam laetarer.* 3 *Quod me hortaris ad scribendum, amice tu quidem, sed me scito agere nihil aliud.* 13 b, 2 *Quod praeterea consulis, quid tibi censeam faciendum, difficile est, cum absim.* 15, 2 *Quod autem quaeris, quomodo agi placeat, primum velim eiusmodi sit, ut non alienum sit me Romae esse.* Aliorum exempla haec sunt. Afranius 116 *Nam proba et pudica quod sum, consulo et parco mihi.* Attius Bruto 36 *Nam quod ad dextram Cepit cursum ab laeva signum praepotens, pulcherrime Auguratum est rem Romanam publicam summam fore.* Vergil. Aen. II. 180 *Et nunc quod patrias vento petiere Mycenas, Arma deosque parant comites pelagoque remenso Improvisi aderunt.* Propert. IV (III). 2, 9 *Quod non Taenariis domus est mihi fulta columnis Nec camera auratas inter eburna trabes Nec mea Phaeacas aequant pomaria silvas, Non operosa rigat Marcius antra liquor: At Musae comites et carmina grata legenti Et defessa choris Calliopea meis.* Ovid. a. a. I. 261 *Illa quod est virgo, quod tela Cupidinis odit, Multa dedit populo vulnera, multa dabit.* Petron. 104 *Encolpion quod quaeris, scito a me in navem tuam esse perductum.* Silius XI. 327 *Summum quod credis et aequas Hannibalem superis, o quantum nomine maior Iam Poeno tibi natus erit.* Sueton. gr. 1 *Nam quod nonnulli tradunt duos libros de litteris syllabisque, item de metris ab eodem Ennio editos, iure arguit L. Cotta non poëtae, sed posterioris Ennii esse.* Denique Nepos Eum. 9, 2 *Nam quod diebus quinque hostis transisse posset, se effecturum, ut non minus totidem dierum spatio retardaretur.* Quo loco ego olim *quod* pronomen esse iudicavi: nunc ellipsin verborum *in eo*, quae mihi post *ut* particulam cogitatione supplenda videbantur, ferendam non esse intellego. *Transisse* autem recte Sibelisius intransitive positum statuit, ut intellegatur *ex Media ad se*, nisi quod de montibus cogitare non debebat, cum omne spatium transiri dicatur. Neque enim, quod aliis visum est, obiectum omitti potuit.

Ubi autem in huiusmodi enuntiatis aliquid fingitur vel fieri posse significatur, *quod* particulae adiungitur coniunctivus, cuius usus prior et plura aliis exempla collegit Lambinus ad Plauti Asin. IV. 1, 12. Sunt autem pleraque comicorum: Plauti Asin. IV. 1, 12 *Quod illa aut amicum suum aut patronum nominet Aut quod illa amicae suae amatorem praedicet, Fores occlusae omnibus sient nisi tibi.* 16 *Aut quod illa dicat peregre allatam epistolam, Ne epistola quidem ulla sit in aedibus.* 51 *Quod illa autem simulet, quasi gravedo profluat, Hoc ne sic faciat, tu labellum abstergeas Potius, quam cuiquam savium faciat palam.* Aul. I. 2, 13 *Quod quispiam ignem quaerat, extingui volo.* Cas. I. 39 *quod te postules Gustare quicquam, numquam edepol ieiunium Ieiunum est aeque, atque ego ruri reddibo te.* Mil. II. 2, 7 *Quod ille gallinam aut columbam se sectari aut simiam Dicat, disperistis, ni usque ad mortem male mulcassitis.* Ter. Eun. IV. 7, 15 *Sane quod tibi nunc vir videatur esse hic, nebulo magnus est.* V. 8, 34 *Si te in platea offendero hac post umquam, quod dicas mihi 'Alium quaerebam, iter hac habui', periisti.* Sed dixit eodem modo Cicero Verr. V. 68, 175 *Quod enim te liberatum iam existimationis metu, defunctum honoribus designatum consulem* (sic enim distinguendum) *cogites, mihi*

crede, ornamenta ista et beneficia populi Romani non minore negotio retinentur quam comparantur; in Pis. 27, 66 *Nam quod vobis iste tantummodo improbus, crudelis, olim furunculus, nunc vero etiam rapax, quod sordidus, quod contumax, quod superbus, quod fallax, quod perfidiosus, quod impudens, quod audax esse videatur, nihil scitote esse luxuriosius, nihil libidinosius, nihil protervius, nihil nequius.* Supersunt loci aliquot, qui corrupti in optimis codicibus legi videntur. Ovid. ep. 16 (17), 251 *Quod bene te iactes et fortia facta loquaris, A verbis facies dissidet ista suis*; 17 (18), 41 *Tam gelidus quod sis, non te tamen, improbe, quondam Ignibus Actaeis incaluisse negas*; ex Ponto IV. 10, 25 *Scylla feris trunco quod latret ab inguine monstris, Heniochae nautis plus nocuere rates.* Priap. 6, 1 *Quod sim ligneus, ut vides, Priapus et falx lignea ligneusque penis, Prendam te tamen et tenebo prensam*; 78, 1 *Quod sim iam senior meumque canis Cum barba caput albicet capillis, Deprensos ego perforare possum.* His enim locis non ficta res, sed vera ponitur: nam ita profecto etiam de loco Ovidiano epistolarum ex Ponto iudicandum neque statuendum poëtam rem fabulosam et incertam significare voluisse. Itaque recte duobus primis antea *cum* editum, reliquis indicativi aut e codicibus aut ex coniectura poni videntur. Neque enim coniunctivum eo defendi posse crediderim, quod pro particula *quod* bis locis *quamvis* ponere licebat.

Iam eo Nepotis loco, de quo dicere instituimus, sane altero enuntiato iudicium fertur de re in priore relata, cum maius quiddam a Thrasybulo perpetratum significetur; sed cur illa res iudicio subiceretur, causa nulla erat, quippe quae gloriam Thrasybuli, de qua agitur, nulla ex parte minueret. Recte id fieret, si haec priore enuntiato legerentur *Nam quod gloriosum iudicatur ab uno tyranno patriam liberare* vel *quod magni putantur, qui ab uno tyranno patriam liberarunt* vel similia: nam qui ita iudicarent, ne satis intellegerent maius esse factum Thrasybuli, timeri poterat. Itaque olim post alios eam rationem secutus sum, ut *quod* pronomen esse et anacoluthon quoddam a Nepote admissum iudicarem collato Ciceronis loco Phil. VII. 8, 22 *Ita quod erat optabile antea, ut populum Romanum comitem haberemus, nunc habemus ducem.* Nunc neque apud Ciceronem hoc tolerandum puto, qui *Itaque erat* aut *Ita cum esset optabile* videtur scripsisse (eadem enim hic quae

Thrasybuli loco causa impedit, quo minus *quod* particula esse possit), et Nepotis locum leni mutatione omni offensione liberavi, ita ut ponerem *Nam cum multi voluerint paucique potuerint.*

4, 2 cum in codice archetypo scriptum esset *cum Mitileni ei multa milia iugerum et agri munera darent*, olim edidi *cum Mytilenaei agri munera ei, multa milia iugerum, darent*; cuius emendationis ne nunc quidem paenitet, cum facilitatem transpositionis demonstraverim spicilegii prioris p. 40. Nam qui alio modo locum corrigere volunt, iis non solum contra codicem archetypum *ei* post *agri* collocandum, de qua re dixi eiusdem libri p. 39, sed etiam *muneri* scribendum est. Neque enim nunc concedo, quod olim feci, Nepoti dicere licuisse *cum Mytilenaei multa milia iugerum agri ei munera darent.* Nam *agri munera* recte dicuntur, ut Phoc. 1, 3 *munera magnae pecuniae*, illa de agris diversis locis sitis vel in plures partes divisis, haec de pluribus pecuniae summis; inepte autem multa milia iugerum data esse dicuntur munera, quasi singula milia unum effecissent munus aut hoc egissent Mytilenaei, ut haec Pittaco plura munera viderentur. Haec autem *cum Mytilenaei multa milia iugera agri ei muneri darent* mihi quidem longius a codice archetypo, quam quae ego posui, recedere videntur.

Proxima verba nunc ita constitui: *Nolite, oro vos, inquit, id mihi dare, quod, cum multi invideant, plures etiam concupiscant*, particula *cum* post *quod* adiecta. Nam rectissime Madvigius Emendationum Livianarum p. 60 n. 1 dixit apud Quintilianum IX. 3, 1 tenendam esse hanc optimorum codicum scripturam: *Itaque, si antiquum sermonem nostro comparemus, paene iam, quidquid loquimur, figura est, ut h a c r e i n v i d e r e, non, ut omnes veteres et Cicero praecipue, h u i c r e i;* pro quo dativo editores post Burmannum scriptori obtruserunt *h a n c r e m.* Ipse enim Cicero, qui, ut alii veteres, saepissime posuit dativum, accusativum plane abhorrere ait a consuetudine et solis poëtis concedit Tusc. III. 9, 20: *ab invidendo autem invidentia recte dici potest, ut effugiamus ambiguum nomen invidiae, quod verbum ductum est a nimis intuendo fortunam alterius, ut est in Melanippo*

Quisnam florem liberum invidit meum?

Male Latine videtur, sed praeclare Attius: ut enim videre, sic invidere florem

rectius quam flori. Nos consuetudine prohibemur; poëta ius suum tenuit et dixit audacius. Et poëtae frequenter hac compositione usi sunt, velut idem Attius 215 *Te id, quod multi invideant multique expetant, inscitia est Postulare, nisi laborem summa cum cura efferas*; Vergil. Buc. 7, 58 *Liber pampineas invidit collibus umbras*, Georg. I. 503 *Iam pridem nobis caeli te regia, Caesar, Invidet*, Aen. IV. 234 *Ascanione pater Romanas invidet arces?* VIII. 508 *Sed mihi tarda gelu saeclisque effeta senectus Invidet imperium*, XI. 42 *Tene, inquit, miserande puer, cum laeta veniret, Invidit Fortuna mihi?* Horat. Sat. I. 6, 49 *quia non, ut forsit honorem Iure mihi invideat quivis, ita te quoque amicum*, 9, 25 *invideat quod et Hermogenes, ego canto*, Epi. I. 14, 41 *invidet usum Lignorum et pecoris tibi calo argutus et horti*; Ovid. ex P. II. 8, 59 *Quod quoniam nobis invidit inutile fatum*; Silius IV. 400 *nec famam invidit Apollo*; Valerius Flaccus V. 507 *Tu modo ne claros Minyis invideris actus.* At apud prosae orationis scriptores ne argenteae quidem aetatis plura quam tria exempla reperio: Val. Max. IV. 3, ext. 1 *ne eiusdem laudis commemorationem externis invideamus*; Curt. IX. 4, 21 *ne inviderent sibi laudem, quam peteret*; Plin. h. n. XV. 2, 8 *Cereri totum id* (Africae solum) *natura concessit, oleum ac vinum non invidit tantum satisque gloriae in messibus fecit.* Ex quibus duo priores dubitare licet an ablativum posuerint; Plinii loco, qui corruptus est, Silligius probabiliter *tantum non invidit* scribendum coniecit. Madvigius autem, cum *invidere alicui aliquid* apud neminem omnino bonae aetatis scriptorem prosae orationis reperiri contenderet, Nepotis quidem loci, quem supra posuimus, non meminit. Sed quin is corruptus sit, dubium non est; leni autem remedio a nobis adhibito *invideant*, ut saepissime, absolute ponetur, cum, cui rei invideant, perspicuum sit. Id enim malo quam ipsum dativum pronominis demonstrativi ex proximo *quod* intellegere, quamquam ne id quidem grammatica ratio vetat.

PART 3

INDEX
SCHOLARVM AESTIVARVM
PVBLICE ET PRIVATIM
IN
VNIVERSITATE LITTERARVM IENENSI
INDE A DIE XII M. APRILIS VSQVE AD DIEM XXXI M. AVGVSTI A. MDCCCLXIX
HABENDARVM
AVCTORITATE
PRORECTORIS MAGNIFICI
LVDOVICI DIESTEL
THEOLOGIAE DOCTORIS ET PROFESSORIS P. O.
ET
SENATVS ACADEMICI
EDITVS.

PRAEMISSA EST
CAROLI NIPPERDEII SPICILEGII ALTERIVS IN CORNELIO NEPOTE PARS III.

IENAE
PROSTAT IN LIBRARIA BRANIANA
cuius possessores sunt Fridericus Bran Dr. Ph. et Hermannus Mauke.

Con. 1, 1, ubi in codice archetypo haec legebantur: *Nam et praetor pedestribus exercitibus praefuit et praefectus classis magnas mari gessit*, in spicilegio priore p. 40 *res* secundum Nepotis consuetudinem non cum plerisque codicibus ante, sed post *magnas* addendum dixi idque in editione anni 1867 tenui. Exemplis eo loco a me allatis addo Ham. 4, 1 *magnas res secunda gessit fortuna*, Eum. 7, 2 *ut ibi de summis rebus consilia caperentur*, 10, 3 *cum quibus ei de summis rebus erat dimicandum*. Tamen et Chabr. 2, 3 *cum in re nulla Agesilao cederet* et Eum. 9, 2 *omnibus titubantibus et de rebus summis desperantibus* et Ham. 3, 3 *resque magnas gessit* legitur. Iam autem illud vocabulum potius post *mari* adiciendum puto, quia et facilius eo loco excidebat et *mari*, quod opponitur *pedestribus copiis*, inter *magnas res* interiectum maiore vi effertur.

Dion. 9, 4 *At illi, ut limen eius intrarant, foribus obseratis in lecto cubantem invadunt.* Fleckeisenus in Philologi IV. 319 *eius* cum editione Ultraiectina delendum aut in *conclavis* mutandum aut hoc vocabulum adiciendum censuit, quia *limen* adiuncto genetivo personae nemo posuisset. At dixit Livius II. 48, 10 *iussi armati postero die ad limen consulis adesse*, Vergilius Georg. II. 504 *penetrant aulas et limina regum*, Aen. II. 365 *religiosa deorum limina*, VI. 115 *tua limina adirem*, Horatius Epo. 2, 7 *superba civium potentiorum limina*, Ovidius Rem. 785 *dominae transire relictae limina*, Met. XIV. 456 *Euandri ad limina*, 742 *referunt ad limina matris*, Fast. III. 358 *Ante sui populus limina regis adest*, Phaedrus III. prol. 16 *intrare si Musarum limen cogitas*, Columella praef. 9 *limina potentiorum circumvolitare.* Habet tamen hoc peculiare Nepotis locus, quod *limen*

non, ut reliquis et ut nostri quoque sermonis consuetudo fert, de domo, sed de conclavi dicitur. Quod ut nequaquam tanti puto, ut mutandum aliquid videatur (per se enim recte hoc quoque limen eius dicebatur, et haec res sola consuetudine Latini sermonis diiudicari potest, de qua certo affirmare nobis non licet), ita ei suspicioni ansam dedit, quam in editione anni 1867 commemoravi, fieri potuisse, ut *limen eius* nasceretur ex *limine tenus*, hoc est *non ultra limen*. Quo modo, ut *tenus* non initium, sed finem rei significaret, locuti sunt Cicero de legg. III. 6, 14 *Nam veteres verbo tenus acute illi quidem, sed non ad hunc usum popularem atque civilem de re publica disserebant*, Livius XXXIV. 5, 4 *in quos iecit magis hoc consul verbo tenus, quam ut re insimularet*, XLI. 20, 12 *modo vulneribus tenus, modo sine missione etiam*, Vergilius Aen. I. 737 *summo tenus attigit ore*, Quintilianus XII. 2, 17 *qui haec non vocibus tantum sibi nota atque nominibus aurium tenus in usum linguae perceperit, sed qui virtutes ipsas mente complexus ita sentiat*, Tacitus XV. 6 *usurpatas nomine tenus urbium expugnationes*, 45 *hic Graeca doctrina ore tenus exercitus animum bonis artibus non induerat*, H. I. 33 *dum egregius imperator cum fortibus amicis ianua ac limine tenus domum cludit*, hoc est *sola ianua ac limine*, Suetonius Iul. 76, Claud. 25, Dom. 1. 13 *titulo tenus*.

In fine capitis iam in superioribus editionibus ita scripsi: *Cui cum succurreret nemo, Lyco quidam Syracusanus per fenestram gladium dedit, quo Dion interfectus est*, unum codicem deteriorem secutus, cum in reliquis legeretur *fenestras*. Neque enim per plures fenestras hic gladius dari poterat.

Iph. 2, 1 haec retinui *Apud Corinthum tanta severitate exercitui praefuit, ut nullae umquam in Graecia neque exercitatiores copiae neque magis dicto audientes fuerint duci, in eamque consuetudinem adduxit, ut, cum proelii signum ab imperatore esset datum, sine ducis opera sic ordinatae consisterent, ut singuli ab peritissimo imperatore dispositi viderentur.* Hic *adduxit* scriptum est in familia *B*, *induxit* in Leidensi Parcensi Ultraiectina; ex Danielino relatum est *adduxit al. adduxit*: quod falso relatum esse cum intellexisset Rothius, ipse coniecit in hoc codice scriptum fuisse *induxit al. adduxit*, ego *adduxit al. induxit*. Idem Rothius aliique cognita Parcensis scriptura *induxit* a Nepote scriptum iudicarunt. Verum, utut in Danielino scriptum fuit, probandum est *adduxit*. Nam *in consuetudinem adducitur*, qui eo pervenit, ut consuetudinem teneat, qui alicui rei plene assuescit (eamque sententiam hic requiri apparet); *in consuetudinem inducitur*, qui ingreditur consuetudinem, qui consuefieri incipit. Quae cui dubia videntur, haec exempla inspiciat: Caes. b. G. IV. 1, 10 *Atque in eam se consuetudinem adduxerunt, ut locis frigidissimis neque vestitus praeter pelles haberent quicquam et lavarentur in fluminibus* (cui simile est Cic. Tusc. II. 3, 9 *Ad quam nos consuetudinem a familiaribus nostris adducti*) et ex contraria parte Cic. ad Q. fr. III. 3, 4, ubi cum Ciceronem puerum delectari dixisset Paeonii rhetoris disciplina neque se, quamquam suum instituendi genus paulo sit eruditius, illam disciplinam impediturum, haec adicit *Sed tamen, si nobiscum eum rus aliquo eduxerimus, in hanc nostram rationem consuetudinemque inducemus.*

Timoth. 1, 2 quae in codice archetypo scripta erant, iam in prima editione sic distinxi: *Samum cepit; in quo oppugnando superiori bello Athenienses mille et cc talenta consumpserant, id ille sine ulla publica impensa populo restituit: adversus Cotum bella gessit ab eoque mille et cc talenta praedae in publicum retulit*, ita ut *quo* referretur ad sequens *id* removereturque vitium, quo laborabat oratio, si enuntiatum relativum superioribus adiungeretur; quod cum antea fieret, et in deterioribus quibusdam codicibus et ab editoribus scriptum erat *in qua oppugnanda*. Improbavit rationem meam Fleckeisenus in Iahnii annalibus LXXXI. 285; cuius argumenta contra me prolata satis refutavi in editione minore: nam quod Kochium secutus meam rationem iusto impeditiorem iudicavit, cum melior adhuc reperta non sit, nihil sane respondendum existimo. Ipse *Samum* urbem neutro genere a Nepote dictam esse affirmat nisus titulo Mummiano versibus Saturniis composito, qui legitur in C. I. L. 1 p. 150 n. 541, in quo scriptum est *Corinto deleto*. At quid usus poëtae et ignoti poëtae saeculi septimi ineuntis ad Nepotem pertinet? Audirem, si quod ex Plauto vel Terentio exemplum proferretur, quorum sermonem prosae orationi affinem aliqua ex parte retinuit Nepos et quicumque tum familiari potius et cotidiano

loquendi genere quam eleganti et exculta oratione utebantur; et tamen non crederem de Nepote in re ab huius aetate plane aliena. Nullum enim exemplum est fide dignum, quo prosae orationis scriptorem optimae aetatis praeter pauca, quae certo usu recepta erant, in nominibus urbium Graecarum a Graeco usu recessisse comprobetur. Constanter dixerunt neutro genere *Tarentum* sua forma, ut *Beneventum*, *Surrentum*, item, quae non erat Graeca urbs, *Saguntum*: neque enim Livium uno loco XXI. 19, 1 *Sagunto excisa* scripsisse credo. An credibilius est Ciceronem Verr. I. 24, 63 scripsisse *Oppidum est in Hellesponto Lampsacum*, quam librarios, ut permultis aliis locis, *m* et *s* permutasse? Quae vitii frequentia deterrere Hertzium debebat, ne apud Livium XXXIII. 31, 11 ex Bambergensi reciperet *Corinthum redderetur Achaeis*, praesertim cum 34, 9 esset *Corinthus*. Recte Kreyssigius XXXIII. 34, 7 scripsit *Thebis Phthioticis et Pharsalo excepta*, Ascensius XXXIV. 49, 5 *Acrocorinthum vacuam*, cum in codicibus legeretur *excepto* et *vacuum*, de quibus item dubitavit Hertzius, quamvis sciret XXXIII. 34, 10 *Carysto adiecto*, XXXIII. 38, 4 *Lampsacum oppugnandum*, quae antea legebantur, sustulisse Bambergensem. Atque haec sunt omnia exempla, quae ex optimorum scriptorum codicibus adhuc collecta sint, plenissime post alios a Nevio in voluminum de nominum et verborum Latinorum declinationibus I. 654. Ex poëtis Vergilius Georg. I. 207 dixit *ostriferi fauces temptantur Abydi*; reliqui magis eo inclinarunt, ut contra Romanam consuetudinem feminina ponerent, qualia sunt *Tarentus*, *Saguntus*, quae imitati sunt Plinius maior et Florus, quam neutra contra Graecam. Ex scriptoribus neutra *Lampsacum*, *Abydum*, *Aspendum*, *Astacum*, *Cyzicum*, *Epidamnum*, *Epidaurum* Melae et Plinio relinquenda sunt, quorum locos collegit idem Nevius: nam apud Florum III. 5, 15, quem item apposuit, *Cyzicum* sane est in Nazariano, at in Bambergensi *Cyzicus*.

2, 2 *Quo facto Lacedaemonii de diutina contentione destiterunt et sua sponte Atheniensibus imperii maritimi principatum concesserunt pacemque his legibus constituerunt, ut Athenienses mari duces essent.* Hic quae verbum *concesserunt* sequuntur, spuria iudicavit Fleckeisenus in Philologi IV. 323 duabus de causis, quod intolerabilis inesset eiusdem rei, quae antea relata esset, repetitio et ineptum esset *his*

legibus, cum una lex commemoraretur. Ex his prius verum non est: accedit enim ultimis verbis nova res, ut, quod antea tantum factum esse relatum erat, iam pacis legibus constitutum esse tradatur. At alterum reprehensum est verissime. Hoc igitur iam in editionibus minoribus posterioribus lenissima mutatione sustuli, ut scriberem *iis legibus*, hoc est *talibus*, quibus efficeretur, ut Athenienses mari duces essent. Simillimus est, ne alios commemorem, locus Dat. 6, 2 *iisque locis castra ponit, ut neque circumiri multitudine adversariorum posset neque impediri, quo minus ipse ad dimicandum manum haberet expeditam*, ubi idem vitium sustulit Lambinus. Nam quae de fide rerum hoc loco relatarum adiecit Fleckeisenus, de iis post ea, quae in maiore editione et de hoc loco et de universo Nepotis genere disputavi, non est, quod dicam. Quamquam ea ipsa sententia, quam ille requirebat, mea emendatione effecta est.

Multum vexarunt editores, quae leguntur sub finem huius capitis: *Cuius laudis ut memoria maneret, Timotheo publice statuam in foro posuerunt. Qui honos huic uni ante id tempus contigit, ut, cum patri populus statuam posuisset, filio quoque daret*, cum verba *huic uni ante id tempus* aliis corrupta viderentur, ab aliis falsis rationibus aut exemplis dissimillimis defenderentur. Mirum autem est neminem memorem fuisse Graecae consuetudinis praeter me, qui de ea iam in maiore editione, quamquam frustra, admonui. Graecos enim superlativo adiungere genetivum partitivum, quo significetur, in quorum numero res superlativo significata non sit, maxime quae ante eam fuerint, notissimum est vel ex Thucydide, cuius haec sunt I. 1 ἐλπίσας μέγαν τε ἔσεσθαι καὶ ἀξιολογώτατον τῶν προγεγενημένων, 10 τὴν στρατείαν ἐκείνην μεγίστην γενέσθαι τῶν πρὸ αὐτῆς, 11 ὀνομαστότατα τῶν πρὶν γενόμενα, 50 ναυμαχία γὰρ αὕτη Ἕλλησι πρὸς Ἕλληνας νεῶν πλήθει μεγίστη δὴ τῶν πρὸ αὐτῆς γεγένηται, VI. 13 ὑπὲρ τῆς πατρίδος, ὡς μέγιστον δὴ τῶν πρὶν κίνδυνον ἀναῤῥιπτούσης. Neque ignotum est eosdem vocabulo, quod est μόνος, et similes genetivos et ἄλλων adiungere, cuius rei exempla haec sunto. Xenophon Cyrop. I. 4, 24 μόνος τῶν ἄλλων ἐκεῖνος οὐδὲν ἄλλο ἢ τοὺς πεπτωκότας περιελαύνων ἐθεᾶτο, Lycurgus in Leocr. §. 67 ὅτι μόνος τῶν ἄλλων πολιτῶν οὐ κοινήν, ἀλλ' ἰδίαν τὴν σωτηρίαν ἐζήτησεν, 102 [Ὁμήρου] μόνου τῶν ἄλλων ποιητῶν ῥαψῳδεῖσθαι τὰ ἔπη, Demosthenes in Mid. §. 223 τῷ μεθ' ὅπλων

εἶναι συντεταγμένοι μόνοι τῶν ἄλλων πολιτῶν, Diodorus XI. 11 *μόνοι τῶν πρὸ ἑαυτῶν διὰ τὴν ὑπερβολὴν τῆς ἀρετῆς εἰς ἀθανασίαν μετήλλαξαν*, Lucianus Tim. 55 *κἂν τὸν πλακοῦντα ὅλον ἢ τὸν σῦν μόνος τῶν ἄλλων λάβοι*, monumentum Adulitanum in C. I. Gr. 5127 B, 30 *πάντα δὲ ταῦτα τὰ ἔθνη πρῶτος καὶ μόνος βασιλέων τῶν πρὸ ἐμοῦ ὑπέταξα*. Iam utrumque imitati sunt Romani, quorum exempla paulo plura primus, quod sciam, collegi. Sunt autem praeter Nepotem, quos ita dixisse invenerim, hi. Plinius h. n. XXV. 2, 5 *Namque Mithridates omnium ante se genitorum diligentissimus vitae fuisse intellegitur*, Tacitus H. I. 50 *Et ambigua de Vespasiano fama, solusque omnium ante se principum in melius mutatus est*, quem locum iam in minore Nepotis editione ascripsi, A. 34 *hi ceterorum Britannorum fugacissimi*, Florus III. 5, 22 *omnium ante se primus transiit Euphratem*. Atque horum scriptorum interpretes Graecus usus non fugit. Qui autem originem huius erroris, usu in Graecorum sermonem recepti, imitatione a Romanis quibusdam asciti, probabiliter explicaret, neminem inveni praeter Handium, qui Turs. I. 384 solo Nepotis loco commemorato et Graecae consuetudinis immemor recte tamen a negativa orationis forma hoc dicendi genus videtur derivasse. Nam cum in permultis negativae formae, quae habet comparativum cum genetivo a pronomine apto, respondeat affirmativa, in qua est superlativus a se aptum habens genetivum, etiam in his, in quae hoc non cadit, ex negativa forma, quae menti obversabatur (*οὔ οὐδεὶς ἀξιολογώτερος τῶν προγεγενημένων, οὐδεὶς τῶν ἄλλων, οὐδένες τῶν πρὸ αὐτῶν*) in affirmativam translatum est id, quod soli negativae conveniebat. Est autem profecto error, cum quid in eo numero ponitur, in quo non est; neque genetivus, in Graecis non magis quam in Latinis, alius quam partitivus existimari potest.

3, 4 *At ille temeraria usus ratione non cessit maiorum natu auctoritati et, ut in sua manu esset fortuna, quo contenderat, pervenit, eodemque ut sequerentur, ad Timotheum et Iphicratem nuntium misit.* Haec non licebat ita explicare, ut Chares (de eo enim agitur) ea de causa, quo contenderat, pervenisse diceretur, ut in Charetis manu esset fortuna. Nam primum tum non *sua*, sed *eius* ponendum erat; deinde ea re, quod ille, quo contenderat, pervenit, neque effici poterat, quod

enuntiato finali significatur, neque effectum cuiquam videri: statim enim haec subiciuntur *Hinc male re gesta, compluribus amissis navibus eo, unde erat profectus, se recipit.* Recte diceretur consilium hoc fuisse Charetis, ut in sua manu esset fortuna; sed ut id significaretur, enuntiato primario ipse Chares egisse aliquid dicendus erat: id quod perspexit Fleckeisenus, cui in Philologi IV. 325 *quo contenderat, perrexit* scribendum videbatur. Neque vero *ut* hic poni poterat pro *ut si* aut *velut;* neque, si maxime posset aut haec ipsa scripta essent, rectius aut *sua* aut sententia haberet: neque enim ideo, quia tum, quo contenderat, pervenerat Chares, in manu eius esse fortuna videri poterat. Quae cum viderem, ita haec verba olim explicavi, ut *sua* referrem ad *fortunam*, et ideo Charetem, quo contendisset, pervenisse dici existimarem, ut fortunae liberum esset facere, quid vellet. Neque hanc explicationem necessario reiciendam esse ullo modo demonstrari potest. Nam *in sua manu esse fortuna* non minus recte dicitur quam *aliquis in sua potestate, in sua tutela, sui iuris esse.* Quod autem fieri aliquid dicitur, ut in sua manu sit fortuna, quasi aliae res fortuna regantur, aliae non, et ipsa fortuna impediatur quibusdam rebus, in eo non haerebit, quisquis reputaverit, quam variae et contrariae inter se et fuerint et sint de ultimis rerum causis opiniones et quam saepe vel doctissimi homines aut vulgi consuetudine aut aliqua humanarum actionum similitudine inducti de iis aliter, atque ipsi sentiant, loquantur. Nihilo minus paulo artificiosiorem esse hanc rationem confiteor, et cum leni mutatione efficeretur, quod omni vitio careret, hoc amplecti non dubitavi. Nam cum Heusingero in mentem venisset *et ut* mutandum esse in *velut*, perfecit emendationem Dietschius oratione in hunc modum distincta: *At ille temeraria usus ratione non cessit maiorum natu auctoritati, velut in sua manu esset fortuna. Quo contenderat, pervenit* et q. s. Plane eodem modo Dat. 6, 2 verba *Quo contenderat, pervenit* superioribus adiunguntur. Atque hoc uno invento in Nepote sui dissimilis fuit Dietschius.

Dat. 3, 3 iam in quarta editione minore scripsi *Quae cum omnes conspicerent propter novitatem ornatus ignotamque formam ob eamque rem magnus esset*

concursus, fuit nonnemo, qui agnosceret Thuym regique nuntiaret, cum antea legeretur *quem*, quod verum esse non potest. Neque enim Thuys solum, sed Datames quoque novitate ornatus erat conspicuus, *agresti*, ut antea relatum est, *duplici amiculo circumdatus hirtaque tunica, gerens in capite galeam venatoriam, dextra manu clavam, sinistra copulam, qua vinctum ante se Thuynem agebat, ut si feram bestiam captam duceret.* Idem dudum ex Danielino restitui c. 4, 4 et Spicilegii prioris p. 6 de ambiguo compendio admonui, quo in Nepotis codicibus et *quae* et *quem* significatur.

Iis locis, quos Spicilegii prioris p. 47 ad confirmandum nomen *Sysinam*, quod Dat. 7, 1 in optimis codicibus legitur, vel *Sisinem* vel *Sisinnem* attuli, addi possunt Ioseph. ant. Iud. XI. 1, 3 Βασιλεὺς Κῦρος Σισίνῃ καὶ Σαραβασάνῃ χαίρειν, Appian. b. c. V. 7 ἐν μὲν Καππαδοκίᾳ Ἀριαράθῃ τε καὶ Σισίννῃ, ὧν τῷ Σισίννῃ συνέπραξεν ἐς τὴν βασιλείαν, καλῆς οἱ φανείσης τῆς μητρὸς τοῦ Σισίννου Γλαφύρας et apud Bekkerum p. 442 ex eiusdem anecdotis Ἀππιανὸς ἐν Ἰλλυρίσι Σισίνου καὶ Σισίνην φησί.

Ep. 1, 1 cum in codicibus legeretur *Epaminondas, Polymni filius*, genetivum *Polymni* falso olim pro *Polymnis* positum esse defendi: nam hic genetivus tertiae declinationis solis nominibus in *es* exeuntibus convenit. Neque credibile est, quod quibusdam in mentem venit, Nepotem genetivum illum derivasse a nominativo, qui esset *Polymnes* vel *Polymnius* vel *Polymnus*, quod nomen, sed mythicum, legitur apud Paus. II. 37, 5, nisi patrem Epaminondae ita appellatum esse demonstratum fuerit. Dubitari poterat, an Nepos scripsisset *Polymnis* Graecam formam Πολύμνιος secutus, qua Plutarchum usum esse monui de genio Socratis c. 6 et 12 (p. 578 E, 581 F); praetuli tamen *Polymnidis*, quia Ἐπαμεινώνδαν τὸν Πολύμνιδος posuerunt et Pausanias VIII. 52, 4. IX. 12, 6 itemque sine dubio IV. 31, 10, ubi nunc est Ἐπαμεινώνδας ὁ Κλεόμμιδος, et Aelianus var. hist. II. 43. III. 17. XI. 9.

8, 2 haec leguntur in Nepotis codicibus: *unum ab iis petivit, ut in periculo suo inscriberent: Epaminondas a Thebanis morte multatus est, quod et q. s.*

Quibus in rebus reliqui scriptores, qui de hoc Epaminondae iudicio retulerunt, et a Nepote et inter se discreparent, in maiore editione exposui: hic unum commemorandum est, de loco, ubi aliquid a iudicibus scribi voluerit Epaminondas, apud Appianum Syr. 41 haec legi αἰτῶ δ' ὑμᾶς κατὰ τὸν τάφον ἐπιγράψαι, apud Aelianum var. hist. XIII. 42 ἠξίου ἐπιγράψαι τῇ στήλῃ, apud Plutarchum apophth. Epam. 23 p. 194 B ἀξιοῦν ἐπιγράψαι τῇ στήλῃ τὴν καταδίκην; ex quo Plutarchi loco apparet στήλην item esse sepulcri, non, ut Bosio ad hunc Nepotis locum visum est, pilam, cui condemnationis formula inscribi solita sit: huic enim ut inscriberetur sententia iudicum (hanc autem solam secundum Plutarchum inscribi voluit), non erat, quod postularet Epaminondas. Apud Nepotem quoque Aldus et is, qui excerpta in codice Patavino saeculi XV scripsit (cuius verba Rothius retulit p. 198, 11), *in sepulcro* posuerunt, idque Halmius in nuntiis Monacensibus XXX. 214 probavit, quia *in periculo* nullo modo ferri posset. Negavit enim hoc vocabulo significari posse, quod nos appellamus *protokoll*, puto, quod eos, qui ita interpretarentur apud Nepotem, uno loco Ciceronis Verr. III. 79, 183 niti existimabat, quo Cicero haec dicit de ordine scribarum: *Est vero honestus, quod eorum hominum fidei tabulae publicae periculaque magistratuum committuntur.* Quamquam is locus cum Nepotis coniunctus satis firmum illius significationis documentum videri debebat: nam *pericula magistratuum* pervagata significatione accepta, ut Halmius aliique voluerunt, nimis late patent, quam ut apte hic commemorari a Cicerone potuerint. Verum quod alios locos aptiores et graviores ad probandum desideravit Halmius, dudum allatae erant inscriptiones titulorum septimi decimi libri IV codicis Theodosiani et quadragesimi quarti libri VII Iustiniani, qui sunt *de sententiis ex periculo recitandis*, et quae in priore leguntur c. 2 *ut in omnibus negotiis ex periculo promatur deliberationis plena sententia*, quae satis explicantur his verbis c. 1 *ut universi iudices cognitis causis ultimas definitiones de scripti recitatione proferant* et c. 4 *Sententia non valeat, quae ex libello data non fuerit* et cod. Iust. 1, 2 *ut iudices non subitas, sed deliberatione habita post negotium sententias ponderatas sibi ante forment et emendatas statim in libellum secuta fidelitate conferant scriptasque ex libello partibus legant*; allatae erant notae Mag-

nonianae, in quibus apud Mommsenum in Keilii grammaticis IV. 291, 32 et 33 haec se excipiunt *dp. de periculo, dl. de libello*, denique Iulii Capitolini verba in M. Antonino philos. c. 11 *Habuit secum praefectos, quorum ex auctoritate et periculo semper iura dictavit*, quo loco *periculum* respondet vernaculo *entwurf*. Neque, quam accommodata haec significatio huic voci esset, Iacobum Gothofredum fugit, qui ad cod. Theod. IV. 17, 2 vidit proximam eam esse illi, qua *periculum* est, quod nos dicimus *versuch*, quo modo et *periclitari* et *periculum facere* saepissime dicuntur et, quod proxime accedit, de Mario suo dixit Cicero de legg. I. 1, 4 *faciunt imperite, qui in isto periculo non ut a poëta, sed ut a teste veritatem exigant*. Quae omnia cum et antiqua et optimae aetatis sint, miror sane, quod idem Gothofredus hanc forensem et iudicialem *periculi* significationem Theodosiano aevo non antiquiorem iudicavit; quod non videtur facturus fuisse, nisi et in Ciceronis loco modo allato de codicum scriptura errasset et apud Nepotem *in sepulcro* sola coniectura niti ignorasset. Sed magis mirum, quod hanc *periculi* significationem ne aptam quidem Nepotis loco putavit Halmius; cuius opinionis vellem causas addidisset. Quid enim aptius esse potest, quam ut sententia iudicum adiectis causis inseratur ei libello, quo, quae in iudicio acta sunt, comprehenduntur? Nisi forte in ea sententia fuit, quam nuper quidam sectator eius pronuntiavit, qui *periculum suum* non iudicum dici posse, sed, quod ipse sibi scripsisset Epaminondas, intellegendum esse putavit. Quod autem, quae alii tradiderunt, ab iis, quae apud Nepotem leguntur, discrepant, ea de causa nemo, qui hunc scriptorem novit, de fide codicum dubitabit, etiamsi, quae illi narrarent, vera, quae apud hunc traderentur, falsa esse demonstrari posset. Et certe ne hic quidem in hac una re cernitur discrepantia, neque reliqui scriptores inter se consentiunt. At, si quid affirmare licet in re fabulis atque rumoribus agitata et, ut sunt omnes eius generis narratiunculae, fingendo vel maxime obnoxia, longe verisimilius est Epaminondam, quae dixisse fertur, periculo iudicum inseri quam in sepulcro inscribi postulasse. Nam illud de causa eius confectum esse consentaneum; ei vero, qui morte multatus esset, publice sepulcrum factum cum titulo vix credibile, et si hoc quoque postulasset Epaminondas, certe eius modi, ut novitas rei aliquo modo significanda

fuerit. Itaque de verbis *in periculo suo* nullo modo dubitandum est. Sed aliud hic vitium resedit, nuper demum a me animadversum. Nam illis *in periculo* non convenit verbum *inscriberent*, cum sententia iudicum cum causis non possit tamquam index periculo praepositus vel impositus videri; sed aut haec tantum periculo continebantur (id quod accommodatum est iis locis, quos ex utroque codice retulimus) aut post alia in periculo legebantur. Itaque correxi *scriberent*. Vitium ortum est aut superiore *in* male repetito aut more medio aevo frequenti, ut vitiosa pronuntiatione litterae *s* praeponeretur *i*, de quo dixit Lachmannus in Lucretium p. 231.

10, 3 tenui, quod olim de coniectura posueram: *Idem, postquam apud Cadmiam cum Lacedaemoniis pugna coepit, in primis stetit*. Sane falso spicilegii prioris p. 50 *pugnari coeptum est*, quod tum ex sola editione Ultraiectina notatum erat, coniecturae eius, qui illam curavit, tribui. Nam cum idem legatur in Parcensi et in Guelferbytano scriptum sit *pugnatum est coepit* suprascripto *ri*, illud *pugnari coeptum est* iam in codice archetypo positum fuisse apparet. Nihilo minus haec coniectura videri debet, quamvis antiqua. Nam si ita primo scriptum fuisset, cui in mentem venire poterat, ut poneret, quod codicum Danielini, Sangallensis, collegii Romani consensu et ipsum in archetypo scriptum fuisse certum est, *pugnare coepit?* Haec igitur ex traditis scripturis antiquissima est et sola fide digna, a qua omnis emendandi conatus proficisci debet; pro qua sola sententiae, nulla litterarum et artis ratione habita *pugnari coeptum est* positum est: *pugna coepit*, quod et per se rectissimum et antiquae scripturae proximum est et, cum minus vulgare esset, errori facile obnoxium erat, omnibus artis legibus satisfacit.

Pel. 5, 1 *Conflictatus autem est cum adversa fortuna*. Fleckeisenus in Philologi IV. 328 praepositionem delendam censuit, quia solus ablativus *conflictandi* verbo adiungeretur et ab aliis scriptoribus et a Nepote Dion. 2, 4 *Quo* (morbo) *cum gravi conflictaretur*, Timol. 1, 2 *in his rebus non simplici fortuna conflictatus est*. Sed mirum, si Latinis, qui *confligere cum aliquo* dicebant, *conflictari cum aliquo* di-

cere non licuisset. Meliora docere poterant Forcellinius et Gesnerus, quos praeter Nepotis locum non fugerunt haec exempla: Ter. Andr. I. 1, 66 *Nam qui cum ingeniis conflictatur eiusmodi*, Phorm. III. 2, 20 *Nec cum huiusmodi umquam usus venit ut conflictares malo*, Cic. de har. resp. 19, 41 *Cum his conflictari et pro salute patriae cotidie dimicare.*

PART 4

INDEX
SCHOLARVM AESTIVARVM

PVBLICE ET PRIVATIM

IN

VNIVERSITATE LITTERARVM IENENSI

INDE A DIE XXV M. APRILIS VSQVE AD DIEM XXXI M. AVGVSTI A. MDCCCLXX

HABENDARVM.

PRAEMISSA EST

CAROLI NIPPERDEII SPICILEGII ALTERIVS IN CORNELIO NEPOTE PARS IV.

IENAE

PROSTAT IN LIBRARIA BRANIANA

cuius possessores sunt Fridericus Bran Dr. Ph. et Hermannus Mauke.

Ag. 1, 2 cum haec in codicibus legerentur: *Mos est enim a maioribus Lacedaemoniis traditus, ut duos haberent semper reges,* diu repugnavi Fleckeiseno, qui Philologi IV. 329 *est* in *erat* mutandum iudicavit. Una ratio traditae scripturae defendendae erat, quam inii, ut *est traditus* perfectum historicum existimaretur. Verum ne id quidem ferri posse intellexi. Nam cum Nepoti propositum non esset, ut de regibus Lacedaemoniorum, sed ut de contentione Agesilai cum Leotychide exponeret, videri non potest de illis ita narrasse, ut hanc contentionem omnino non respiceret, sed quo statu et condicione tum, cum illa contentio oreretur, regia potestas fuisset, explicasse censendus est. Itaque reliquas quoque res, quae deinceps commemorantur, ita referri videmus, ut haec contentio respiciatur, aut imperfecto aut plusquamperfecto posito. Negari tamen non potest (atque ea ipsa res assensum meum remorata est) non satis intellegi, quomodo *est* ex *erat* ortum sit. Fieri igitur potest, ut Nepos scripserit *Mos enim a maioribus Lacedaemoniis erat traditus,* et cum *erat* ob similitudinem proximarum litterarum excidisset, supplendae orationis causa *est* adiectum sit. Ceterum si quis codicum scripturam ita se defendere posse opinaretur, ut Nepotem hic in similem errorem incidisse statueret atque Paus. 3, 5, ubi scripsit *Licet enim legibus eorum* (Lacedaemoniorum) *cuivis ephoro hoc facere regi,* falso illum errorem similem iudicaret. Ibi enim cum Thucydidis narrationem sequeretur Nepos, facile accidere poterat, ut inter reliqua etiam haec verteret Ἔξεστι δὲ τοῖς ἐφόροις τὸν βασιλέα δρᾶσαι τοῦτο. Hic nulla res erat, quae eum in errorem de re notissima admittendum abstraheret.

A *

2, 5 non recte etiam in novissima editione tenui, quae in codice archetypo legebantur: *se autem conservata religione confirmare exercitum, cum animadverteret deum numen facere secum, hominesque sibi conciliare amiciores, quod iis studere consuessent, quos conservare fidem viderent.* In quibus quod in editione maiore recte reprehendi *exercitum* et *homines* ita diiungi, quasi illi in horum numero non essent, dudum facillima emendatione remotum est in codice c, in quo *conciliari* scriptum fuit; quo facto haec verba ad *animadverteret* referuntur, *sécum* autem et *sibi* non de solo exercitu, sed et de hoc et de Agesilao intellegenda sunt: hunc enim comprehendi universae sententiae vel maxime consentaneum esse apparet. Exercitus autem cum iussu Agesilai servaret et ipse indutias, non minus bene *conservare fidem* dicitur quam Agesilaus.

3, 4 iam dudum in editione minore sic scripsi: *Huic cum tempus esset visum copias extrahere ex hibernaculis, vidit, si, quo esset iter facturus, palam pronuntiasset, hostis non credituros aliasque regiones praesidiis occupaturos neque dubitaturos aliud eum facturum, ac pronuntiasset.* In quibus *aliud eum facturum* praebuerunt Parcensis et Ultraiectina. Antea, cum hoc ex una Ultraiectina notatum esset neque de auctoritate huius scripturae constaret, in altera familia legeretur *aliud esse facturum*, Nepos autem omnibus reliquis locis infinitivo futuri activi verbum *esse* detraxisset, spicilegii prioris p. 13 Lieberkuehnii coniecturam *aliud sese facturum* probaveram. Utrumque rectum est; praeferendum sine dubio, quod, cum ad Ultraiectinam accesserit Parcensis, in codice optimae familiae principe scriptum fuisse credendum est. Liceat autem hoc loco de ratione, qua Nepos pronomine reflexivo et demonstrativo usus sit, paulo uberius exponere.

Propria et prima sermonis Latini in hac re lex est, ut pronomine reflexivo significetur subiectum enuntiati, demonstrativo aliae res. Sed consuetudo eo inclinavit, ut usus pronominis reflexivi quam latissime extenderetur. Itaque ubi plura enuntiata coniunguntur, quorum diversa sunt subiecta, in iis enuntiatis secundariis, quibus sententia vel oratio subiecti enuntiati primarii declaratur (inter quae Latina consuetudo exceptis iis, quibus consequentia notatur, fere omnia enuntiata ponit, quae ab aliis ita apta sunt, ut particulis coniunctivum regentibus annectantur), in his igitur enuntiatis

secundariis longe frequentissime subiectum primarii, quamvis aliud sit atque subiectum secundarii, pronomine reflexivo, raro, ut in tanto numero, demonstrativo significatur. Ita in exiguo numero enuntiatorum secundariorum remansit prima sermonis lex, ut pronomen reflexivum uni ipsius enuntiati subiecto significando inserviret. Ex quo genere haec sunt apud Nepotem: Dat. 10, 1 *Namque is pollicitus est regi se eum interfecturum, si ei rex permitteret, ut, quodcumque vellet, liceret impune facere*, Hann. 7, 2 *legati Carthaginienses Romam venerunt, qui senatui populoque Romano gratias agerent, quod cum his pacem fecissent ob eamque rem corona aurea eos donarent simulque peterent, ut obsides eorum Fregellis essent captivique redderentur*, 9, 4 *Gortynii templum magna cura custodiunt, non tam a ceteris quam ab Hannibale, ne ille inscientibus his tolleret secumque duceret.* Haec omnia Dietschius corrupta iudicavit: olim, cum nondum magnus criticus evasisse sibi videretur et veteres scriptores diligenter modesteque tractaret, in Sallustii Iugurtha anno MDCCCXLVI a se edito p. 545 et ipse hoc dicendi genus agnoverat et post Kritzium permultos, qui de eo egissent, commemoraverat, quibus adicere licet Haasium ad Reisigii scholas nota 386 et 388 et Muetzellium ad Curtium p. 152. Componam autem aliorum quoque scriptorum exempla, cum superiores complura retulerint, quae aut huc non pertinerent aut aliter in codicibus legerentur aut corrupta essent. Maxime quidem Caesar hoc genus videtur frequentasse. Cic. p. Quint. 31, 99 *Itaque hoc te obsecrat, C. Aquili, ut, quam existimationem in iudicium tuum attulit, eam liceat ei secum ex hoc loco efferre.* p. Rosc. Am. 34, 95 *cum ceteri socii tui fugerent ac se occultarent, ut hoc iudicium non de illorum praeda, sed de huius maleficio fieri videretur;* quo loco falso Haasius, qui similiter de aliis erravit, non finem, sed consequentiam significari contendit (neque enim profecto Cicero hoc re vera ita visum esse dicere voluit): *ut non* pro *ne* propter sequens *sed* ponitur. Verr. I. 34, 86 *Milesios navem poposcit, quae eum praesidii causa Myndum prosequeretur.* de l. agr. II. 1, 1 *plerique hoc perficiunt, ut tantum maioribus eorum debitum esse videatur, unde etiam, quod posteris solveretur, redundaret.* p. Lig. 12, 36 *qui tum nihil egit aliud (neque enim haec divinabat), nisi ut tui eum studiosum et bonum virum iudicares.* Phil. VI. 3, 6 *Non is est Antonius. Nam si esset, non commisisset, ut ei senatus tamquam Hannibali denuntiaret, ne oppugnaret*

Saguntum. de or. I. 54, 232 (Socrates) *respondit sese meruisse, ut amplissimis honoribus et praemiis decoraretur et ut ei victus cotidianus in Prytaneo publice praeberetur.* Br. 2, 6 *hunc aut praeter ceteros aut cum paucis sustineret dolorem* (Hortensius), *cum forum populi Romani, quod fuisset quasi theatrum illius ingenii, voce erudita spoliatum videret.* Acad. pr. 9, 32 *Alii autem elegantius, qui etiam queruntur, quod eos insimulemus omnia incerta dicere.* de div. I. 2, 3 *omnem hanc* (haruspicum) *ex Etruria scientiam adhibebant, ne genus esset ullum divinationis, quod neglectum ab iis videretur.* Caes. b. G. I. 5, 4 *Persuadent Rauracis et Tulingis et Latobrigis finitimis, uti eodem usi consilio oppidis suis vicisque exustis una cum iis proficiscantur.* 6, 3 *Allobrogibus sese vel persuasuros existimabant vel vi coacturos, ut per suos fines eos ire paterentur.* 11, 3 *Ita se omni tempore de populo Romano meritos esse, ut paene in conspectu exercitus nostri agri vastari, liberi eorum in servitutem abduci, oppida expugnari non debuerint.* 14, 3 *Quod si veteris contumeliae oblivisci vellet, num etiam recentium iniuriarum, quod eo invito iter per provinciam per vim temptassent, quod Haeduos, quod Ambarros, quod Allobrogas vexassent, memoriam deponere posse?* 37, 2 *Haedui* (veniebant) *questum, quod Harudes, qui nuper in Galliam transportati essent, fines eorum popularentur.* II. 1, 2 *quod vererentur, ne omni pacata Gallia ad eos exercitus noster adduceretur.* V. 27, 2 *Sese pro Caesaris in se beneficiis plurimum ei confiteri debere, quod eius opera stipendio liberatus esset, quod Aduatucis, finitimis suis, pendere consuesset, quodque ei et filius et fratris filius ab Caesare remissi essent.* b. c. I. 6, 6 *Neque expectant, ut de eorum imperio ad populum feratur.* 35, 4 in oratione obliqua legatorum Massiliensium de sua civitate dicentium *quorum alter agros Volcarum Arecomicorum et Helviorum publice iis concesserit.* III. 30, 5 *Pompeius suos omnes castris continuit ignesque fieri prohibuit, quo occultior esset eius adventus.* Sall. Iug. 96, 2 *ipse ab nullo repetere, magis id laborare, ut illi quam plurimi deberent.* Liv. I. 54, 5 *sciscitatum Romam ad patrem mittit, quidnam se facere vellet, quando quidem, ut omnia unus Gabiis posset, ei dii dedissent.* 56, 10 *cupido incessit animos iuvenum sciscitandi, ad quem eorum regnum Romanum esset venturum.*

XXXI. 34, 1 *Philippus aliquid et ad caritatem suorum et, ut promptius pro eo pericula adirent, ratus profecturum se.* Vell. II. 15, 3 *per omnes annos atque omnia bella duplici numero se militum equitumque fungi neque in eius civitatis ius recipi, quae per eos in id ipsum pervenisset fastigium.* Curt. VIII. 3, 5 *abire e conspectu iubet addito metu mortis, si se oculis eius obtulisset.* 6 *orare non destitit, ut tali consilio abstineret patereturque sortem, quamcunque iis fortuna fecisset.* Tac. IV. 67 *quamquam edicto monuisset, ne quis quietem eius irrumperet.* H. II. 9 *Is in maestitiam compositus et fidem suorum quondam militum invocans, ut eum in Syria aut Aegypto sisterent, orabat.* Suet. Ner. 32 *Ante omnia instituit, ut e libertorum defunctorum bonis pro semisse dextans ei cogeretur.*

Paulum a superioribus differunt hi loci. Nep. Them. 8, 3 *Ibi cum eius principes animadvertisset timere, ne propter se bellum iis Lacedaemonii et Athenienses indicerent.* Cic. p. Quint. 29, 88 *confirmavi Sex. Naevium diebus compluribus ante in possessionem misisse, quam postularet, uti ei liceret bona possidere;* Verr. IV. 39, 84 *Audistis nuper dicere legatos Tyndaritanos Mercurium, qui sacris anniversariis apud eos ac summa religione coleretur, huius vi, scelere imperioque esse sublatum;* ad Att. XV. 21, 1 *Scripsit filius se idcirco profugere ad Brutum voluisse, quod, cum sibi negotium daret Antonius, ut eum dictatorem efficeret, id recusasset.* Caes. b. G. I. 35, 3 *haec esse, quae ab eo postularet: primum — deinde obsides, quos haberet ab Haeduis, redderet Sequanisque permitteret, ut, quos illi haberent, voluntate eius reddere illis liceret;* b. c. I. 2, 3 *ut M. Calidius, qui censebat, ut Pompeius in suas provincias proficisceretur: timere Caesarem ereptis ab eo duabus legionibus, ne ad eius periculum reservare et retinere eas ad urbem Pompeius videretur.* Sall. Iug. 62, 1 *monet atque lacrimans obtestatur* (Bomilcar Iugurtham): sequitur longior oratio obliqua et in eius fine *caveat, ne illo cunctante Numidae sibi consulant.* His enim locis subiecta, ad quae pronomen demonstrativum refertur, posita sunt in oratione obliqua a verbo, cuius aliud est subiectum, apta, ita ut subiectum enuntiati primarii remotioris, sed principalis maiorem vim in animo scribentis exercere potuerit quam enuntiati vel accu-

sativi cum infinitivo eius locum tenentis, quo enuntiatum, in quo positum est pronomen demonstrativum, pertinet. Sed hac quoque orationis forma longe frequentissimum est et usu receptum, ut pronomen reflexivum ponatur.

Rarissime autem fit, ut in iis, quae accusativo cum infinitivo enuntiantur, cuius aliud est subiectum atque verbi accusativum cum infinitivo regentis, hoc verbi regentis subiectum significetur pronomine demonstrativo. Sunt tamen huius rei certa optimorum scriptorum exempla. Nam ut Nepos dixit Milt. 4, 5 *civibus animum accessurum, cum viderent de eorum virtute non desperari*, ita Cic. div. in Caec. 1, 2 *me saepe esse pollicitum, saepe ostendisse dicebant, si quod tempus accidisset, quo tempore aliquid a me requirerent, commodis eorum me non defuturum*; Verr. II. 62, 151 *nolle hoc accipere reum ab accusatore, et eum reum, qui praetor in Sicilia fuerit, oratores ei statuam sua voluntate statuisse, oratores de eo bene existimare*; Caes. b. c. III. 28, 4 *Tirones multitudine navium perterriti et salo nauseaque confecti iure iurando accepto, nihil iis nocituros hostes, se Otacilio dediderunt*, de quo loco statim aliquid addam; Liv. XXXI. 11, 12 *iussique polliceri* (legati Masinissae), *si quid ei ad firmandum augendumque regnum opus esse indicasset, enixe id populum Romanum merito eius praestaturum*; Curt. VI. 7, 20 *cognoscit Satibarzanen, quem satrapem Ariorum ipse praefecisset, defecisse ab eo*, 11, 8 *a corporis custodibus initium factum clamantibus discerpendum esse parricidam manibus eorum.* Neque hoc mirum aut ratione destitutum. Nam accusativus cum infinitivo cum orationis forma pars sit enuntiati, sententia tamen proprium enuntiatum efficit; itaque haec exempla, in quibus sententia magis quam forma orationis spectata est, nulla re a superioribus differunt. Iniuria igitur et alii et Madvigius, quem secutus est Hertzius, Livii locum plane vitiosum iudicarunt. Eadem ratione Nepos Agesilai loco, a quo hanc disputationem exorsi sumus, cum accusativo cum infinitivo *hostis non credituros aliasque regiones praesidiis occupaturos neque dubitaturos* proprii enuntiati vim tribueret, in iis, quae inde pendent, *aliud eum facturum, ac pronuntiasset*, scribere maluit *eum* quam *se*, ita ut pronomen ad proximum subiectum *hostis* accommodaret, non ad subiectum superius verbi *vidit* universum verborum ambitum regentis.

Simile est, quod participio vel adiectivo vel ablativis absolutis adicitur pronomen demonstrativum, quo subiectum enuntiati, cuius illae partes sunt, significetur; de quo usu recte iudicavit et ad orationis pro Sulla 29, 81 *Cui cum adfuit post delatam ad eum primam illam coniurationem* haec exempla collegit Halmius: p. Mil. 15, 39 *ipse cunctae Italiae cupienti et eius fidem imploranti signum dedit*, Br. 61, 220 *orator viris eius aequalibus proximus optimis numerabatur*, Nep. in fragm. Guelpherb. *qui philosophiam ante eum incomptam Latinam sua conformarit oratione*, Ascon. p. 47 *post rogationem a Clodio in eum promulgatam urbe cessit.* Quibus addere non debebat Curt. III. 12, 21, ubi in codicibus legitur, quod recte restituerunt Muetzellius et Hedickius, *Tunc quidem ita se gessit, ut omnes ante eum reges et continentia et clementia vincerentur*, non *vinceret*: nam Kaysero Bruti quoque locum deletis *viris eius aequalibus* removenti non assentior. Sed addo eiusdem Curtii III. 13, 12 *Inter quas fuere virgines Ochi filiae, olim quidem ex fastigio paterno rerum mutatione detractae, sed tum sortem earum crudelius aggravante fortuna*, quo loco nemo facile positurus erat *suam*, quamquam grammaticae normae consentaneum, et Taciti III. 3 *ne omnium oculis vultum eorum scrutantibus falsi intellegerentur.* Haec igitur ita dicta sunt, quia enuntiatorum vel relativorum vel temporalium vel modalium locum tenebant. Atque hac ratione etiam Caesaris locum supra allatum ex b. c. III. 28, 4 explicare licet, ut *iure iurando accepto* scriptori fuerit loco huius enuntiati: *cum ius iurandum acceptum esset*, quamquam hoc minus probabile est, quia, si haec in enuntiati formam redegisset, vix videtur aliter dicturus fuisse quam *cum ius iurandum accepissent.*

Plerique eorum, qui hoc dicendi genus tractarunt, causam eius inde repetiverunt, quod scriptor rem non ad eos, de quibus scriberet, sed ad se vel ad eos, quos dixisse vel sensisse aliquid de illis traderet, retulisset. Quod plane contrarium est ei consilio, quod omnibus his locis fuit scribentibus, ut non suam, sed alienam sententiam referrent; et quomodo conveniet iis, qui de se ipsi referunt, velut Caesari b. G. I. 14, 3? Denique si haec esset causa, cur subiectum ipsius enuntiati numquam pronomine demonstrativo significatum est? cuius rei sane exempla quaedam nobis in codicibus tradita sunt, sed tam pauca, ut vel inde corrupta esse appareat, velut Liv. IX. 5, 9 *re-*

ditum in patriam ad parentes, quo saepe ipsi maioresque eorum triumphantes venissent. XXXIV. 62, 13 *neque eum, de quo agatur, probare eos posse non modo semper, ex quo coeperint, sed ne diu quidem eos possedisse;* quibus locis *eorum* et alterum *eos* non minus interpolata sunt quam XL. 47, 4 *petierunt, ut sibi in castra Celtiberorum ire liceret ad auxilia accienda: si non impetrassent, tum separatim eos ab illis se consulturos.* Recte dictum est quibusdam locis demonstrativum videri positum, quia in eodem enuntiato reflexivum de alia re poneretur; verum hoc fieri non poterat, nisi etiam sine hac causa demonstrativum ponere licuisset, id quod multis locis factum videmus. Excusatio quaesita est, quia, quod usu praevaluerat, solum rectum visum est, cum omnia haec respondeant regulae, ut subiectum enuntiati pronomine reflexivo, aliae res demonstrativo significentur. Verum eidem regulae respondet, quod usus praetulit, ut in huiusmodi enuntiatis secundariis, de quibus diximus, de subiecto enuntiati primarii pronomen reflexivum poneretur. Licet enim enuntiatum secundarium et plenum enuntiatum existimare, quacum re convenit, ut subiectum enuntiati primarii significetur pronomine demonstrativo, et partem enuntiati, quod nisi adiecto primario non expleatur, unde fluxit, quod usus adamavit, cum, si primarium et secundarium enuntiatum pro uno sunt, subiectum primarii quasi totius enuntiati sit subiectum.

Oscitantiae scriptoris debentur Them. 8, 2 *Hic cum propter multas eius virtutes magna cum dignitate viveret* et in pronomine reflexivo similia Cim. 4, 4 *Sic se gerendo, minime est mirandum, si et vita eius fuit secura et mors acerba,* Ep. 8, 3 *quos ante se imperatorem nemo Boeotorum ausus fuit aspicere in acie,* de quibus dixi et in editionibus et huius spicilegii I. 6. Quod autem Att. 9, 7 Rothium secutus edidi *Sed sensim is a nonnullis optimatibus, familiaribus eius, reprehendebatur,* ubi in codicibus deest *familiaribus*, id in editionibus monui secundum sententiam dictum esse, quasi pro passiva orationis forma posita esset activa, cuius rei similia exempla in usu pronominis reflexivi exponendo videbimus. At nulla re a consueto more recedunt, quamquam de priore loco ego quoque aliquando aliter statui, quae leguntur Dion. 8, 5 *Mulieres nihilo setius Callicratem in aedem Proserpinae deducunt ac iurare cogunt nihil ab illo periculi fore Dioni,* Hann. 11, 3

Eumenes soluta epistola nihil in ea reperit, nisi quae ad irridendum eum pertinerent. Nam priore loco *Callicratem* est obiectum enuntiati, cuius pars est accusativus cum infinitivo; *ab se* ita demum consuetudini responderet, si hic accusativus cum infinitivo aptus esset ab altero, cuius subiectum esset Callicrates. Hannibalis loco enuntiato relativo non Eumenis iudicium, sed qualis epistola fuerit, hoc est consequentia notatur: *ad irridendum se*, ut postea videbimus, poni poterat; rectum et usui consentaneum est, quod legitur.

Reflexivi pronominis usus haec habet apud Nepotem notabilia. Significatur eo non solum grammaticum subiectum, sed etiam id, quod sententia subiectum est; atque is usus apud omnes scriptores legitimus est. Sic Paus. 4, 1 *eique in suspicionem venisset aliquid in ea de se esse scriptum*, Dat. 8, 3 *Has adversus copias spes omnis consistebat Datami in se locique natura*, 9, 2 *cum ei nuntiatum esset quosdam sibi insidiari.* Quos locos adhuc neglexerunt artium scriptores: Ciceronis, Livii, Curtii composuit Ramshornius § 157, 5 not. 2 p. 544, quibus Haasius ad Reisigii scholas not. 387 addidit Plauti Mil. 800 *a tua mi uxore dicam delatum et datum, ut sese ad eum conciliarem.* Ex eodem genere sunt haec Taciti H. II. 65 *interpretabatur quaedam ex orationibus eius contumeliosa in Vitellium et pro se ipso popularia*, ita scripta, quasi pro *ex orationibus eius* posuisset *quae locutus esset*, et V. 5 *inter se nihil illicitum*, quasi adiectum esset, quod menti obversabatur, *ipsis*. Vid. Madvigium § 490 a.

Deinde subiectum enuntiati primarii etiam in iis enuntiatis secundariis, quae eius sententiam vel orationem non declarant et aliud habent subiectum, nonnumquam pronomine reflexivo significatur. Fit hoc maxime et apud Nepotem et apud alios in enuntiatis relativis, ut apud illum Cim. 3, 1 *incidit in eandem invidiam, quam pater suus*, Iph. 3, 4 *pater, quantum in se fuit, Thraecem me genuit*, Dat. 6, 8 *quod ad perniciem suam fuerat cogitatum, id ad salutem convertit*, Ag. 7, 4 *Domo eadem fuit contentus, qua Eurysthenes, progenitor maiorum suorum, fuerat usus*, Att. 16, 4 *Non enim Cicero ea solum, quae vivo se acciderunt, futura praedixit*; apud Plaut. Mil. 187 *ut eum, qui se hic vidit, verbis vincat, ne iste viderit*, Ter. Hec. IV. 4, 38 *Mater quod suasit sua, Adulescens mulier fecit*, Cic.

de inv. I. 33, 55 *Ergo in hac causa, quae apud Graecos est pervagata, cum Epaminondas, Thebanorum imperator, ei, qui sibi ex lege praetor successerat, exercitum non tradidit* (ita enim hic locus emendandus videtur), p. Rosc. Am. 2, 6 *Hunc sibi ex animo scrupulum, qui se dies noctesque stimulat ac pungit, ut evellatis postulat, ut ad hanc suam praedam adiutores vos profiteamini*, Verr. V, 49, 128 *Dexo non, quae publice Tyndaride, non, quae privatim sibi eripuisti, sed unicum abs te filium flagitat*, p. Cluent. 8, 25 *dixit ab eodem sibi esse imperatum, ut A. Aurium illum, qui sibi delationem nominis et capitis periculum ostentarat, et alterum A. Aurium proscribendos interficiendosque curaret*, ad Att. II. 7, 5 *Cicero tibi mandat, ut Aristodemo idem de se respondeas, quod de fratre suo, sororis tuae filio, respondisti*, Caes. b. c. III. 53, 5 *Quem Caesar, ut erat de se meritus, ab octavis ordinibus ad primipilum se traducere pronuntiavit*, b. Afr. 8, 5 *Ipse cognitis condicionibus Scipionis, et qui cum eo bellum contra se gerebant, miserari* et q. s., Sall. I. 61, 1 *Metellus in iis urbibus, quae ad se defecerant, praesidia imponit*, 66, 1 *Iugurtha civitates, quae ab se defecerant, formidine aut ostentando praemia affectare*, 103, 2 *Bocchus reputando, quae sibi duobus proeliis venerant*, Liv. II. 43, 6 *Unus ille vir rem publicam sustinuit, quam exercitus odio consulis, quantum in se fuit, prodebat*, 55, 6 *Volero, ubi indignantium pro se acerrimus erat clamor, eo se in turbam confertissimam recipit*, XXXIX. 23, 6 *Una eum res maxime angebat, quod, qui Macedonum ab se defecerant in bello, in eos ius saeviendi ademptum ei ab senatu erat*, Hor. sat. I. 1, 1 *Qui fit, Maecenas, ut nemo, quam sibi sortem seu ratio dederit seu fors obiecerit, illa contentus vivat*, ep. II. 1, 83 *quia nil rectum, nisi quod placuit sibi, ducunt*, Vell. II. 56, 1 *Caesar omnibus, qui contra se arma tulerant, ignovit*, Suet. Caes. 34 *quamquam obsidione Massiliae, quae sibi in itinere portus clauserat, retardante brevi tamen omnia subegit*, 74 *Philemonem, a manu servum, qui necem suam per venenum inimicis promiserat, non gravius quam simplici morte puniit*. In enuntiato causali Caesar b. G. VI. 9 in. dixit *Caesar duabus de causis Rhenum transire constituit; quarum una erat, quod auxilia contra se Treveris miserant*; in temporali Nepos Ep. 3, 5 *cum civium suorum*

aliquis ab hostibus esset captus, amicorum consilium habebat, Att. 12, 3 *cum L. Saufeii, equitis Romani, aequalis sui, triumviri bona vendidissent, Attici labore atque industria factum est, ut* et q. s., ubi *suus* relatum est ad subiectum logicum enuntiati primarii ut Livii loco XXXIX. 23, 6 supra allato; Eum. 3, 6 *prius in aciem exercitum eduxit proeliumque commisit, quam milites sui scirent, cum quibus arma conferrent*, Cic. Phil. II. 37, 96 *non enim a te emit, sed prius, quam tu suum sibi venderes, ipse possedit*. Hoc Ciceronis loco Halmius *sibi* ita explicavit, ut coniunctivo consilium significari diceret, quae sane fuit prima causa coniunctivi particulae *priusquam* adiungendi, et potest ea ratio magis etiam Eumenis loco accommodata videri, cui praemittuntur verba *Itaque tenuit hoc propositum et:* verum tamen, cum in narratione *antequam* et *priusquam*, item ut *cum*, non raro cum coniunctivo imperfecti et plusquamperfecti ita coniungantur, ut nihil praeter rem gestam significetur, idem his locis fieri verisimilius videtur. Denique possessivum *suus*, cuius latiorem esse usum quam reflexivi vel ea docent, quae Madvigius artis § 490 b notavit, etiam in enuntiato consecutivo ponitur a Nepote Milt. 1, 1 *Miltiades cum ea esset aetate, ut non iam solum de eo bene sperare, sed etiam confidere cives possent sui* et q. s. et Cicerone de inv. I. 14, 19 *ut si velit Orestes dicere eiusmodi animum matris suae fuisse in patrem suum, in se ipsum ac sorores, in regnum, in famam generis et familiae, ut ab ea poenas liberi sui potissimum petere debuerint*, quo tamen loco *liberi sui* possunt esse *proprii*.

Exempla huius usus contulerunt Ramshornius § 157, 5 not. 1 b et c p. 543 sq., Zumptius § 550, Haasius ad Reisigii scholas not. 386, Matthias ad Cic. p. Rosc. Am. 2, 6, Kritzius ad Sall. Cat. p. 558, Madvigius op. I. 189; ex quibus, quae apta erant et a codicibus tuta, selegi. Plerique hoc dicendi genus ortum esse putant ex confusione quadam orationis obliquae et directae, ut scriptorem aut reflexivum posuisse statuant, quasi ad alienam sententiam significandam coniunctivum ponere voluerit, aut indicativum tamquam directam eius, de quo narrat, orationem referentem, pro personali autem pronomine substituisse reflexivum quasi inter suam et alienam orationem medium, quae sententia est Kritzii itemque Walchii emend. Liv. p. 190 de loco Livii XXIV. 33, 6, ubi haec leguntur in oratione oratoris Romani *Nec caedem nefandam socio-*

rum inultam Romanos passuros: itaque, si eis, qui ad se perfugerunt, tutus in patriam reditus pateret, caedis auctores dedantur et libertas legesque Syracusanis restituantur, nihil armis opus esse; quo loco mihi quidem Strothius recte *perfugerint* videtur emendasse. Verum haec artificia (ita enim appellanda videntur) nequaquam omnibus locis, quos attulimus, convenire recte monuit Haasius et unicuique singulos perlustranti facile apparebit. Itaque sic de his statuendum est, subiectum enuntiati primarii tantam vim exercere etiam in secundarium enuntiatum, ut quodammodo huius quoque subiectum esse videatur; id quod convenit ei rationi, de qua iam supra diximus, ut secundarium enuntiatum non plenum per se, sed pars primarii existimetur, nisi quod hoc facilius eoque frequentissime fit in iis enuntiatis secundariis, quibus sententia vel oratio subiecti enuntiati primarii refertur.

Nota res est *suum* semper dici, ubi contrarium sit alieno, item substantive *suos*, quae apud Nepotem leguntur Lys. 1, 2 *Non enim virtute sui exercitus, sed immodestia factum est adversariorum*, Eum. 10, 3 *hunc Antigonus conservasset, si per suos esset licitum*, Hann. 8, 4 *cum multitudine adversariorum sui superarentur, ipse, quo cornu rem gessit, fuit superior.*

Superest, ut moneam Nepotem possessivum, quod est *suus*, saepe adiecisse, ubi consuetudo sermonis Latini id omittere sinebat, atque nonnumquam ita, ut positione pondus quoddam ei tribueret per sententiam non necessarium, cum id aut praemitteret aut ea verborum collocatione, quam adamavit, verbo inter substantivum et pronomen interiecto in fine subiceret. Sic saepissime posuit *cives suos*, velut Milt. 1, 1 (*cives possent sui*). 3, 5. 7, 4. 8, 1. Them. 8, 1. Lys. 4, 1. 4. 6, 3. Con. 2, 1. 4, 5. Iph. 3, 3 (*suorum civium*). Chabr. 3, 2 (*suorum civium*). Timoth. 1, 3. Ep. 3, 5. 7, 1 (*suorumque iniurias ferentem civium* et *cives sui*). Phoc. 2, 1 (*suorum civium*). Timol. 1, 3. Hann. 1, 2: praeterea *copias suas* Milt. 4, 2 (*suas copias*). 5, 4. Cim. 2, 3. Ag. 3, 1 (*omnis suas copias*). Eum 9, 5 (*suas contraxisse copias*); *classem suam* Them. 3, 4, *classem constituisset suam* Alc. 8, 1, *milites sui* Eum. 3, 6; *naves suas* Hann. 11, 6; *patrem suum* Cim. 3, 1. Ep. 6, 2, *matris suae* reg. 1, 4. Att. 17, 1; *fratri suo* Dion. 9, 2; *sororis suae* Dion. 2, 4, *sororem germanam suam* Cim. 1, 2; *liberis suis* Phoc 1, 3; *filiam sua* reg. 3, 3. Ham. 3, 2; *patruo*

suo Ag. 1, 4; *avunculi sui* Att. 22, 4; *privigno suo* 19, 4; *aequalibus suis* Ep. 2, 2. Att. 16, 1; *amicis suis* Milt. 3, 2. Pel. 1, 4; *collegas suos* Them. 7, 3; *imperatoribus suis* Lys 1, 2; *sub sua retenturum potestate* Milt. 3, 2, *in suam potestatem* 4, 1, *in sua tenuit potestate* Cim. 2, 1; *de reditu suo* Alc. 5, 3; *dissidentis suos sensus* Dion. 8, 2; *consilium aperiretur suum* 8, 5; *iudicii sui* Timoth. 4, 1; *periurio suo* Ag. 2, 5; *iter suum* Eum. 9, 6; *natali suo die* Timol. 5, 1; *studiis obsequendi suis* Att. 2, 2; *fortunarum traiecit suarum* 2, 3; *possessiones posset suas* 12, 2; *infinitas suas occupationes* Att. 20, 2. Seclusi, ut par erat, omnes eos locos, quibus maior quaedam vis inest in pronomine sententiae conveniens, velut Timoth. 3, 3, ubi *cum suis copiis* verbis *illorum adventu* et *suam classem* Charetis opposuit scriptor, item Lys. 1, 4 *ut omnes civitates in sua teneret potestate, cum id se Lacedaemoniorum causa facere simularet*, Dion. 6, 4 *omnia in sua potestate esse velle*, Att 1, 3 *incitabat omnes studio suo*, alia; in quorum numero etiam haec pono: Timoth. 1, 3 *cuius partem domum suam ferre posset*, Ag. 7, 3 *nihil umquam domum suam contulit*, Timol. 4, 4 *Itaque suae domi sacellum Automatias constituerat*, Att. 13, 6 *domum suam omnium ordinum homines invitaret*, quibus accuratius privata aut ipsius hominis domus significatur, ut item Att. 9, 4 *tanta diligentia officium suum praestitit* ab ipso obeundum.

LECTIONES

I. Ordinis Theologorum

1. PROFESSORUM ORDINARIORUM.

CAROLUS AUGUSTUS HASE, D. *privatim* dd. senis h. X *Historiam nostri temporis ecclesiasticam* inde a saeculo XVIII medio enarrabit; *publice Seminarii theologici exercitationes* una cum collegis SS. VV. moderari perget die Iovis horis vesp. VIII et IX.

IO. CAR. ED. SCHWARZ, D. *privatim Artem homileticam* tradet hora XI—XII quater per hebd.; *publice* die Mercurii hora XI *Seminarium homileticum, catecheticum* eadem hora die Saturni moderari perget, ita quidem, ut cum illo *exercitationes liturgicae* coniungantur.

LEOPOLDUS IMMANUEL RÜCKERT, D. *privatim* 1) *Historiam evangelicam* secundum *tres priores Evangelistas* enarrabit *exegetice*, Lucam ducem sequuturus, sen. dd. hora VIII; 2) *Theologiam biblicam* tradet sen. diebus hora IX et sing. diebus (die Lunae) h. V; 3) *Ethicen theologicam* proponet sen. dd. h. XI. — *Seminarii theologici exercitationes* moderabitur cum collegis VV. S. VV.

LUDOVICUS DIESTEL, D., h. t. Decanus, *privatim* 1) *Historiam populi Israelitarum* tradet quater per hebd. h. XII; 2) *Psalmos* explicabit quinquies per hebd. hora IX; *publice* 3) *Seminarii theologici exercitationes* una cum collegis SS. VV. moderari perget die Veneris horis VI et VII vesp.; 4) *Seminarium* suum *paedagogicum* reget die Lunae h. IV.

CAROL. LUDOV. WILIBALDUS GRIMM, D. *privatim* 1) in cursu interpretationis N. T. *Pauli epistolas ad Galatas atque ad Corinthios* datas interpre-

PART 5

INDEX
SCHOLARVM HIBERNARVM
PVBLICE ET PRIVATIM

IN

VNIVERSITATE LITTERARVM IENENSI

INDE A DIE XVII M. OCTOBRIS A. MDCCCLXX
VSQVE AD DIEM XVIII M. MARTII A. MDCCCLXXI

HABENDARVM.



PRAEMISSA EST

CAROLI NIPPERDEII SPICILEGII ALTERIVS IN CORNELIO NEPOTE PARS V.

IENAE

PROSTAT IN OFFICINA RATII.

Eum. 1, 1 paenitet me, quod adhuc haec retinui: *Huius si virtuti par data esset fortuna, non ille quidem maior, sed multo illustrior atque etiam honoratior, quod magnos homines virtute metimur, non fortuna.* Nam cum recte Paus. 5, 5 et Att. 21, 1 *est* adiecissem, quippe quod in narratione abesse non posset, et in editione maiore ad Thras. 3, 2 demonstrassem, quibus condicionibus *est* et *erat* a Nepote omitteretur, hic *fuisset* omitti potuisse statuere non debui, cuius rei nullum apud melioris quidem aetatis scriptorem exemplum est. *Fuisset* autem requiri, non, ut Fleckeiseno in Philol. IV. 331 visum est, *esset*, et ego post alios dixeram et Dietschius verbis *illustrior atque etiam honoratior* demonstrari monuit. Verum is falso ex *fuisset*, quod post *honoratior* addidit, ad superius *maior* intellegendum dixit *esset*, id quod forma orationis non patitur, et in hunc modum verba transposuit: *non ille quidem maior, quod magnos homines virtute metimur, non fortuna, sed multo illustrior atque etiam honoratior fuisset.* Qua transpositione Nepotem corrigi, ex cuius consuetudine sit, ut, quae sententia coniuncta sunt, interiectis quibusdam, quae forma orationis connectuntur, separet, satis multis exemplis in maiore editione ad hunc locum collectis probavi. Recte Lambinus, ut alia multa emendavit, quae ab insequentibus spreta sunt, sic hoc loco post *maior* adiecit *fuisset*; cuius exitus cum par esset proximo vocabulo, non difficilis error erat. Nam verba *non ille quidem maior* et *esset* admittunt et, quod propter sequentia necessarium est, *fuisset*: nam *maior fuisset* recte dicitur hac sententia *maior fuisse iudicaretur*. Etiam Ep. 2, 1 nunc Fleckeiseno assentior cum deterioribus codicibus scribendum esse *Natus*

est igitur patre, quo diximus; quo loco non, ut falso olim statui, descriptio, sed narratio est.

3, 6 in Guelferbytano, Sangallensi, Ultraiectina scriptum est *Effecit etiam illud locorum praeoccupatione, ut equitatu potius dimicaret, quo plus valebat, quam peditatu, quo erat deteriore;* in Parcensi et aliis *deterior.* Quod qui probarunt, non reputaverunt Eumenem non potuisse dici *peditatu deteriorem*, dicendum fuisse *inferiorem*, quod in suo codice invenisse videri volebat Ernstius. Est hi clocus cum aliis certo documento multo latiorem fuisse ablativorum qualitatis usum apud Latinos quam aut nostra consuetudo in eo dicendi genere, quod illi respondet, aut accurata ratio ferat. Cuius rei olim in maiore editione complura exempla ad hunc locum attuli, velut quod apud Nepotem quater legitur *aliquo periculo esse;* quibus locis aliisque sane difficile non est addere *in* praepositionem, at quomodo removebimus haec longe insolentiora, quae ibidem commemoravi: Cic. Phil. VIII. 6, 18 *cum suo magno esset beneficio*, ubi Halmius ascripsit ad fam. VII. 30, 3 *Acilius maximo meo beneficio est*, et Caecinae apud Cic. ad fam. VI. 7, 1 *qua quidem in re singulari sum fato*, cui simile est Persii 4, 27 *hunc dis iratis genioque sinistro?* Abhorrent a nostra consuetudine haec passive dicta: *aliqua gloria esse*, cuius tria Ciceronis exempla attulit Madvigius op. I. 193 (Nepotis est Ep. 2, 1 *non minore fuit in musicis gloria*, ut omittam Thras. 4, 1, ubi est de corona *nullam habuit invidiam magnaque fuit gloria*, auctor potest videri scripsisse *magnaeque fuit gloriae*), *ea tum erant fama* Nep. Eum. 3, 4, *rem esse insigni infamia* Cic. Att. I. 12, 4, *aliquo numero et honore esse* (exempla sunt apud Ramshornium § 140, 1 p. 417), *minore se invidia fore* Nep. Eum. 7, 2, *fanum Iunonis, quod tanta religione semper fuit* Cic. Verr. IV. 46, 103, *apud milites tanta caritate esse* Liv. I. 54, 4, *dum adipiscerentur dominationes, multa caritate, et maiore odio, postquam adepti sunt* Tac. XII. 30. Iam plane eodem modo, quo Nepos illo Eumenis loco, cuius causa haec disputavimus, Tacitus dixit H. II. 82 de Vespasiano *egregie firmus adversus militarem largitionem eoque exercitu meliore* et ab exc. d. Aug. VI. 34 *claritudinem Arsacidarum contraque ignobilem Hiberum mercennario milite disserebat.* Constat igitur Latinos minus accurate locutos (nam hoc confiten-

dum est) etiam res extra aliquem positas, quaecumque *habere* aliquis diceretur, quae ei acciderent et quae pateretur, ablativo qualitatis significasse. Quae cum ita sint, non video, cur eos idem fecisse negemus in iis, quae ad tempus animum permoverent, quae sententia fuit Madvigii l. c. non recte scripta iudicantis, quae leguntur apud Cic. ad fam. VI. 4, 4 *quanto fuerim dolore* et ad Att. V. 14, 2 *magno timore sum.*

5, 6 in novissimis editionibus sic scripsi: *Haec dum apud Hellespontum geruntur, Perdiccas apud Nilum flumen interficitur a Seleuco et Antigene rerumque summa ad Antipatrum defertur. Hic, qui non deseruerant, exercitu suffragium ferente capitis absentes damnantur, in his Eumenes.* Nam cum antea *qui deseruerant* legeretur, quam id perverse diceretur (neque enim, si maxime exercitui tum suffragium ferenti, qui ipse magna ex parte Perdiccam deseruerat, desertores videbantur, qui ab illo non desciverant, certe neque aliis neque Nepoti videri poterant), in editione maiore monueram et postea, cum librariis proclivem errorem fuisse intellexissem, his potius quam Nepoti ineptissimam rem tribuendam ratus in tertia minore *non* adiciendum esse suspicatus eram. Qua mea coniectura non commemorata Dietschius, quam ignorasse videtur (quamquam idem de iis, quae spicilegii prioris p. 13 Hann. 6, 1 inserenda proposueram, etiam citato libro meo ita dixit, tamquam ipsius esset supplementum), *qui illum non deseruerant* scripsit. Quod etsi et ipsum verum esse potest, tamen hoc incommodum habet, quod excipiunt verba *Hac ille perculsus plaga* de Eumene (quae res Nepote non est indigna; at cur coniectura ei obtrudatur, causa nulla), deinde longius a codicum scriptura recedit et tollit exquisitiorem *deserendi* verbi usum. Cuius apud Ciceronem quidem incerta sunt exempla, et quod ego in maiore editione attuli et quod Io. Fr. Gronovius ad Sen. de ira II. 10, 1, Verr. V. 42, 110 *'Prodiderat classem'. Quod ob praemium? 'Deseruerat'. Quid Cleomenes? 'Ignavus fuerat'. At cum tu ob virtutem corona ante donaras* et p. Sull. 28, 77 *quo in loco nobis vita ante acta proderit, quod ad tempus existimationis partae fructus reservabitur, si in extremo discrimine ac dimicatione fortunae deseret? si non aderit, si nihil adiu-*

vabit? (ita enim recte ex plerisque codicibus, nisi quod *deserit* habent, ediderat Orellius, a quibus unus bonus Tegernseensis ita discedit, ut pro *in* praebeat *non*; quo facili errore abusus Halmius antea scripsit *si non extremo* et *deserviet*, postea retento *deseret* Richterum secutus *si nos in extremo*). Priore igitur loco sane intellegere licet *classem*, altero, quamquam id paulo difficilius fit, *nos* ex superiore *nobis*, neque tamen quicquam impedit, quominus absolute positum verbum illo sit 'er war davongelaufen', hoc 'abtrünnig wird', 'nicht stich hält'. At dixit ita Livius VII. 25, 7, quem locum commemoravit Oudendorpius ad Lucani II. 728, *senatus contendere* (id enim proxime accedere videtur ad codicum scripturam *extendere*, recte a compluribus improbatam) *omnes imperii vires consules dilectu habendo iussit: civili quippe standum exercitu esse, quando socialis coetus desereret;* ubi *coetus* immerito offendit Gronovium et alios; neque recte a Weissenbornio explicatus est de universa sociorum multitudine, cum *coetus* sit congregata multitudo, conventus: dicuntur ita per contemptum *concilia populorum Latinorum ad lucum Ferentinae habita*, in quibus, ut paulo ante relatum est, *responsum haud ambiguum imperantibus milites Romanis datum, absisterent imperare iis*, *quorum auxilio egerent: Latinos pro sua libertate potius quam pro alieno imperio laturos arma.* Iam post Livium saepe hoc verbum absolute ponitur de militibus signa relinquentibus, velut a Seneca de ira II. 10, 1 (4) *In singulos severitas imperatoris destringitur: at necessaria venia est, ubi totus deseruit exercitus*, de tranq. an. 3, 4 (5) *Ergo si tempus in studia conferas, quod subduxeris officiis*, *non deserueris nec munus detrectaveris*, ep. 95, 35 *primum militiae vinculum est religio et signorum amor et deserendi nefas*, quae collegit Gronovius, idemque frequentem esse hunc usum monuit in titulo digestorum *de re militari* (loci sunt XLIX. 16, 3 §§ 7. 9; l. 5 pr. et §§ 1. 3; l. 13 § 5 apud Modestinum, Arrium Menandrum, Macrum) et locos quosdam adiecit ex declamationibus, quae Quintiliano tribuuntur: ex ipsius Quintiliani libris hos neglexit III. 6, 78 *Deserui tempestatibus*, *fluminibus, valetudine impeditus* et IX. 2, 85 *ire in aciem coactus deseruit*, quibus non sua verba Quintilianus posuit, sed antiquiorum rhetorum. Denique latiore rursus significatu Plinius dixit ep. III. 5, 8 *Erat sane somni paratissimi*, *nonnumquam*

etiam inter ipsa studia instantis et deserentis, quem locum cum aliis extremae aetatis attulit Cortius ad Lucani II. 728. Ita igitur Nepos quoque cum indignatione quadam et acumine eos, qui non deseruissent, condemnatos videtur dixisse ab iis, qui re vera essent desertores.

6, 1 quae in codicibus scripta sunt *Ad hunc Olympias*, *mater quae fuerat Alexandri, cum litteras et nuntios misisset in Asiam consultum, utrum repetitum in Macedoniam veniret (nam tum in Epiro habitabat) et eas res occuparet*, *huic ille primum suasit, ne se moveret et exspectaret*, *quoad Alexandri filius regnum adipisceretur*, olim ita explicavi, ut ad *repetitum* ex sequentibus *Macedoniam* cogitatione adiciendam dicerem et haec compararem Cic. ad Att. II. 8, 1 *scito Curionem adolescentem venisse ad me salutatum*, Caes. b. G. V. 26, 2 *magna manu ad castra oppugnatum venerunt*; neque nunc id reprehenderim, quod hoc loco supinum praecedit. Verum Olympias non repetebat Macedoniam, sed totius regni ab Alexandro relicti administrationem, quae neque a Nepote neque a quoquam umquam Mecedonia appellata est, neque hoc reginae consilium fugisse Nepotem ex iis apparet, quae § 4 scripsit *Id quo facilius faceret*, *se omnibus praefectis*, *qui in officio manebant*, *misisse litteras*, *ut ei parerent*. Nihil igitur egerunt, qui *in* omiserunt; quo facto praeterea, cum, quo ventura fuisset Olympias, non declararetur, in Asiam ad Eumenem profectura fuisse existimanda esset: aliud enim nihil ex reliqua sententia supplere licet. Neque *repetitum* absolute poni potuit, quemadmodum Nauckio visum est, ut esset *ius suum repetitum*. Adieci igitur *regnum*, quod inter *utrum* et *repetitum* ob proximarum litterarum similitudinem facile excidere poterat. Recte autem *regnum* hic dicitur, quamquam in tempus eius administrationem susceptura erat Olympias, donec Alexandri filius per aetatem succedere posset, non *procuratio regni*, quae regina poterat indigna videri; et ipsi Perdiccae 2, 2 Alexander dicitur *regnum commisisse*. Neque *repeti* recte dici rem debitam et iniuria retentam post Gesneri thesaurum est, quod exemplis comprobem.

8, 2 *Namque illa phalanx Alexandri Magni*, *quae Asiam peragrarat deviceratque Persas*, *inveterata cum gloria tum etiam licentia*, *non parere se*

ducibus, sed imperare postulabat. Admonet hic locus, ut paulo accuratius, quam adhuc factum est, de accusativo cum infinitivo disputem verbis studium vel voluntatem significantibus adiuncto. Pervagatum est autem, ut his verbis accusativus cum infinitivo adiungatur, cuius aut infinitivus est passivus aut subiectum aliud atque verbi accusativum cum infinitivo regentis. Quarum rerum adeo frequentia sunt exempla, ut hic Nepotis tantum ponenda putem. Milt. 8, 4 *populus maluit illum innoxium plecti*, Paus. 2, 3 *seque tecum affinitate coniungi cupit*, 4, 4 *huic indici, quid fieri vellent, praeceperunt*, 5, 1 *qui eum admoneri cupiebat*, Alc. 10, 3 *violare clementiam quam regis opes minui maluit*, Con. 5, 2 *potius patriae opes augeri quam regis maluit*, Dion. 9, 5 *qui se metui quam amari malunt*, Ep. 4, 5 *quo se deduci vellet*, Timol. 3, 4 *maluit se diligi quam metui*, Hann. 12, 3 *ne id a se fieri postularent*, Them. 6, 4 *Quare eos quam infirmissimos esse volebant*, Ar. 3, 1 *Id enim commune aerarium esse voluerunt*, Timol. 2, 2 *cuius benignitatis memoriam volebat exstare*, 4, 3 *quod, cum Siciliam recreare constituissent, tum se potissimum ducem esse voluissent*, Att. 21, 5 *Id vos ignorare nolui*, Ep. 7, 5 *Hanc* (legem) *Epaminondas cum rei publicae conservandae causa latam videret, ad perniciem civitatis conferre noluit.* Ita enim hic Epaminondae locus explicandus est, ut ad infinitivum *conferre* ex superioribus addatur accusativus subiecti *hanc*. Mire enim Epaminondas ad perniciem civitatis conferre diceretur, cum legi oboediret; quod autem nonnulli commenti sunt, legem ab Epaminonda ad perniciem civitatis conferri dici, neque sententiam meliorem habet neque Latine dici poterat, ut studium, opera conferri dicitur. Minus saepe illis verbis adiungitur accusativus cum infinitivo, cuius et idem est subiectum atque verbi accusativum cum infinitivo regentis et infinitivus activus: qua compositione optimi quique scriptores, ut Cicero, Caesar, itemque, ni fallor, Livius, ita tantum usi sunt, ut infinitivus statum vel condicionem vel casum, id, quod aliquis pateretur, quod ei eveniret, significaret; et recte Madvigius artis § 389 nota 4 frequentissime ita *esse* poni dixit. Ex quo genere haec sunt. Plaut. Trin. 365 *qui se fictorem probum Vitae agundae esse expetit*, Capt. III. 5, 81 *Cur ego te invito me esse salvum postulem?* Truc. I. 2, 39 *An tu te Veneris publicum aut Amoris alia lege Habere posse postulas?*

Asin. 121 *moriri sese misere mavolet*, 183 *Vult placere sese amicae*, Most. III. 1, 100 *id me scire expeto*, Ter. Eun. 66 *Mori me malim*, Cic. Cat. I. 2, 4 *Cupio me esse clementem, cupio in tantis rei publicae periculis me non dissolutum videri*, III. 10, 25 *non illi nullam esse rem publicam, sed in ea, quae esset, se esse principes, neque hanc urbem conflagrare, sed se in hac urbe florere voluerunt*, p. Sull. 2, 5 *An vero, in quibus subselliis haec ornamenta ac lumina rei publicae viderem, in his me apparere nollem?* p. Arch. 5, 10 *quod semper se Heracleensem esse voluit*, p. Sest. 45, 96 *alteri se populares, alteri optimates et haberi et esse voluerunt*, p. Planc. 33, 80 *nihil est, quod malim, quam me et esse gratum et videri*, ad fam. I. 9, 18 *qualem me et esse et numerari volo*, V. 8, 3 *eum me esse cupio*, ad Brut. I. 10, 3 *tantum quisque se in re publica posse postulat, quantum habet virium*, de or. I. 24, 112 *quo praesente ego ineptum esse me minime vellem*, 47, 204 *ut nihil mallent esse se quam bonos viros*, Br. 73, 257 *ego me Phidiam esse mallem quam vel optimum fabrum tignarium*, or. 25, 83 *non se parcum solum, sed etiam elegantem videri volet*, 33, 117 *iudicem esse me, non doctorem volo*, de re p. III. 17, 27 *qui dubitet, utrum se esse malit*, de fin. II. 31, 102 *quem se ille esse vult*, Cat. m. 20, 73 *Vult se esse carum suis*, de off. I. 19, 65 *principem se esse mavult quam videri*, 31, 113 *cum in omni sermone omnibus affabilem esse se vellet*, 32, 117 *constituendum est, quos nos et quales esse velimus*, II. 20, 70 *gratum se videri studet*, III. 17, 71 *eaque malitia, quae vult illa quidem videri se esse prudentiam*, Caes. b. c. III. 89, 3 *cum se victoriae Pompeii comitem esse mallet quam socium Caesaris in rebus adversis*, Nep. Milt. 8, 4 loco iam supra allato *populus maluit illum innoxium plecti quam se diutius esse in timore*, Att. 20, 5 *cum se uterque principem non solum urbis Romae, sed orbis terrarum esse cuperet*, Sall. Cat. 1, 1 *Omnes homines, qui sese student praestare ceteris animalibus*, Iug. 14, 3 *vellem potius ob mea quam ob maiorum meorum beneficia posse me a vobis auxilium petere* (ita enim in omnibus fere codicibus legitur; in Vaticano, qui vulgaria sequi solet, *me* omissum, in uno bono primum errore *possem a* scriptum, sed deinde verum restitutum est), Liv. III. 68, 11 *malae rei se quam nullius, tur-*

barum ac seditionum duces esse volunt, XXII. 50, 7 *qui se bene mori quam turpiter vivere maluit*. Quod autem illo Eumenis loco, cuius causa haec disputavimus, Nepos fecit, ut accusativum cum infinitivo poneret, cuius subiectum idem esset atque verbi accusativum cum infinitivo regentis et infinitivus actionem significaret, in eo, ut in multis aliis rebus, usum comicorum retinuit vel potius familiaris et cotidiani sermonis suae quoque aetatis consuetudinem. Saepissime enim ita dixit Plautus, velut Trin. 237 *Numquam amor quemquam nisi cupidum postulat se hominem in plagas Conicere*, 324 *res quaedam est, quam volo Ego me abs te exorare*, Capt. III. 5, 59 *Quid? tu una nocte postulavisti et die Recens captum hominem, nuperum et novicium Te perdocere?* IV. 2, 76 *Quin ita faciam, ut tu te cupias facere sumptum, etsi ego vetem*, Cas. I. 39 *quod te postules Gustare quicquam*, 53 *Nunc ne tu te mihi respondere postules*, Pseud. 167 *Magnifice volo me viros summos accipere*, Stich. 80 *Si manere hic sese malint quam alio nubere*, Men. 443 *qui hero me postulem moderarier*, Asin. 67 *Atque ego me id facere studeo*, Ep. I. 2, 17 *Sed operam Epidici nunc me emere pretio pretioso velim*. Quorum exemplorum partem collegit Schoppius Suspectarum lectionum IV. 19, alia Brixius ad Trin. 237, qui cum recte compluribus locis *tu te* posuisset, nescio quo modo Capt. IV. 2, 76 *tute* reliquit. Eadem forma coniuncta cum altera utra earum, de quibus supra diximus, usi sunt Nepos Timoth. 4, 3 *ut mallet se capitis periculum adire quam Timotheo de fama dimicanti deesse*, Ter. Eun. prol. 1 *qui placere se studeat bonis Quam plurimis et minime multos laedere*, Sall. Cat. 7, 6 *se quisque hostem ferire, murum ascendere, conspici, dum tale facinus faceret, properabat*. Accusativi cum infinitivo *postulandi* verbo adiuncti, quae compositio post Plautum non adeo frequens est, iis exemplis, quae supra iam allata sunt (Cic. ad Brut. I. 10, 3. Nep. Eum. 8, 3. Hann. 12, 3) haec addo, quae infinitivum passivum habent. Ter. Ad. 879 *Ego quoque a meis me amari et magni pendi postulo*, Cic. de inv. I. 32, 53 *postulabimus nobis illud, quod dubium sit, concedi*, Verr. III. 60, 138 *Hic postulat se Romae absolvi*, 139 *qui postulet ibi de tua existimatione iudicium fieri*.

Multas variasque sententias protulerunt, qui de discrimine dixerunt, quod intercederet inter infinitivum et accusativum cum infinitivo verbis studium vel voluntatem significantibus adiuncto, velut Haasius ad Reisigii scholas nota 603 quosque is commemorat, Ellendtius ad Cic. de or. I. 24, 112, Nauckius ad Nep. Milt. 8, 4, quocum consentit Weissenbornius ad Liv. III. 68, 11, cum rectiora protulisset artis suae § 318 nota 1. Sed illos refutare et longum neque necessarium est, cum, quae opinati sunt, neque naturae accusativi cum infinitivo neque usui scriptorum accommodata sint. Discrimen non est in sententia positum, sed in sola ratione grammatica. Recte Madvigius dixit accusativo cum infinitivo rem, quae cupiatur, magis separari a verbo regente et eius subiecto, et ex hac parte haec compositio affinis est *ut* particulae cum coniunctivo vel simplici coniunctivo illis verbis adiuncto, nisi quod accusativus cum infinitivo nihil praeter rem cupitam significat, altera structura finis notionem adicit. Inde apparet, cur elegantior consuetudo abstinuerit ab accusativo cum infinitivo, ubi de actione subiecti cupientis dicebatur: haec enim inter se artissime coniuncta sunt, cum, quid alii agant et quid ipsi patiamur aut quid nobis eveniat, plerumque non sit in nobis positum.

11, 3 quae in codicibus leguntur *non enim hoc convenire Antigoni prudentiae, ut sic deuteretur victo*, non est probabile ita a Nepote esse scripta, quia *deutendi* verbum hoc uno loco legitur, in promptu autem erat usitatissimum *abutendi*. Lambinus coniecit *se uteretur*, mihi Nepos scripsisse visus est *uteretur devicto*, ut hic simile mendum irrepserit atque Hann. 5, 2, ubi in codicibus scriptum est *Quo repentino obiectu viso*, in Ultraiectina *obiecto viso*, a Nauckio optime correctum *obiecto visu*.

Phoc. 4, 1 tenui, quae in codice *B* scripta fuerunt: *Huc perventum est, cum propter aetatem pedibus iam non valeret vehiculoque portaretur. Magni concursus sunt facti, cum alii, reminiscentes veteris famae, aetatis misererentur, plurimi vero ira exacuerentur propter proditionis suspicionem Piraei maximeque, quod adversus populi commoda in senectute steterat.* Hic priora sane pau-

lum ab usitata ratione dicendi recedunt, cui haec fere forma accommodata esset *Huc ita perventum est, ut, cum propter aetatem pedibus iam non valeret, vehiculo portaretur*; verum totum id, quod nos in his leviter offendit, in eo versatur, quod vis particulae *cum* non statim ab initio legenti perspicua est, sed perlecto demum enuntiato percipitur: per se rectissime hac particula significatur, qua condicione Phocion Athenas pervenerit. In Parcensi autem et Ultraiectina (nam de Danielino non constat) post *huc* additur *ut*. Quo recepto illud enuntiatum *cum propter aetatem — portaretur* nequaquam ad sequentia referre licet, cum, quae illo traduntur, in causa non fuerint, cur magni concursus fierent: nihil igitur in ea re, de qua antea diximus, commutaretur, sed perspicuitas orationis sine dubio turbaretur. Itaque hoc *ut*, ut non pauca in eo libro, ex quo Leidensis, Parcensis, Ultraiectina descendunt, interpolationi deberi videtur, qua falso aliquis id removeri putabat, de quo diximus; neque maior hoc loco illorum librorum auctoritas est quam deteriorum quorundam codicum, in quibus *Huc ubi perventum est* legitur. Simili interpolatione, sed minus perspicua de causa paulo ante 3, 4 in codice *B* scriptum est *Hic cum ab Agnone accusatus*, ubi *cum* Gifaniani auctoritate sublatum est.

Ea, quae modo attulimus, in maiore editione mea haec excipiebant: *Qua de re ne perorandi quidem ei data est facultas et dicendi causam in iudicio; legitimis quibusdam confectis damnatus, traditus est undecimviris.* Quorum verborum postrema cur ita constituenda essent, satis exposui spicilegii prioris p. 63, neque nunc de his sententiam mutavi aut iis, quae ibi disputavi, quicquam addendum puto. Prima *qua de re* primus intellexi non posse cum *perorandi* verbo coniungi et ita explicari, Phocioni non licuisse de hac re perorare. Nam quae res proxime ante haec verba commemorata est, *quod adversus populi commoda in senectute steterat*, de ea illi omnino perorandum non erat, cum in iudicium adductus esset, *quod Piraeum Nicanori prodidisset*, ut relatum est c. 3, 4; et si vel maxime illa *qua de re* referre liceret ad superiora *propter proditionis suspicionem Piraei*, quod fieri non potest, ne sic quidem apta sententia nasceretur. Neque enim qua de re Phocioni perorare non licuisset, dicendum erat, sed perorare ei non licuisse. Itaque in

maiore editione eo confugi, ut *qua de re* idem significare dicerem atque *qua de causa*, et laudavi locum b. Hisp. 24, 4. *Quo de facto cum utrorumque copiae tumulum excellentem petissent.* Minus tum attenderam ad scripturam codicis Guelpherbytani, in quo legitur *quo harene perorandi*; quod cum totidem litteris postea in Parcensi inventum sit, dubium non est, quin in codice archetypo scriptum fuerit. Itaque statim in minoribus editionibus posui *quare*. Nam cum errore scriptum esset *quo*, huic *a* littera aut suprascripta aut in margine apposita est, *h* autem illa aut signum quoddam est correctioni adiectum aut a librario addita, quia *harenam* sibi tenere videbatur. Alius ex his *qua de re* effecit, quod reliquos codices familiae *B* occupavit.

Timol. 3, 3 male obsecutus Nauckio in editione anni 1867 ita distinxi: *Arcem, Syracusis quam munierat Dionysius ad urbem obsidendam, a fundamentis disiecit.* Falsum est enim, quod ille contendit, dicere non licuisse *arcem Syracusis* pro *arce, quae fuerit Syracusis*, vel *Syracusarum* vel *Syracusana*. Quod etsi frequens non est dicendi genus, legimus tamen apud Cic. ad Att. I. 6, 1 *Domum Rabirianam Neapoli, quam tu iam dimensam et exaedificatam animo habebas, M. Fonteius emit* et Verr. V. 26, 65 *Homines maritimi Syracusis, qui saepe istius ducis nomen audissent, saepe timuissent, cum eius cruciatu atque supplicio pascere oculos animumque exsaturare vellent, potestas aspiciendi nemini facta est*; quibus locis nemini in mentem venire potest locativum alio quam ad proximum vocabulum referre. Neque haec diversa sunt ab his, quae leguntur apud Nep. Att. 20, 3: *cum aedis Iovis Feretrii in Capitolio, ab Romulo constituta, vetustate atque incuria detecta prolaberetur*, ubi hanc compositionem ipse probavit Nauckius (quamquam falsa de causa, quod scilicet Romuli temporibus Capitolium non fuisset: vera haec est, quod duae res scriptori erant declarandae, et quo loco fuisset templum et quam venerabili origine) et *pugnam apud Salamina* et alia pervagatissima contulit. Sic in origine significanda tribum semper ablativo casu nomini adiungi notum est; Cic. p. Cluent. 13, 36 dixit *Fuit Avillius quidam Larino*, ubi *Larino* cum *fuit* coniungere non licet, in deterioribus codicibus positum est *Larinas* (nam 69,

197 *Teano Apulo atque Luceria equites Romanos, homines honestissimos, laudatores videtis* ablativus pertinet ad *videtis*, quod breviter dictum est pro *adesse videtis*), p. Rosc. Am. 27, 74 *quos homines? indidemne Ameria an hosce ex urbe sicarios? Si Ameria, qui sunt ii? si Roma, unde eos noverat Roscius?* Nep. Ep. 5, 2 *Menecliden quendam, indidem Thebis*, Caes. b. c. I. 24, 4 *N. Magius Cremona*, III. 71, 1 *C. Fleginatem Placentia, A. Granium Puteolis, M. Sacrativirum Capua*, Livius I. 50, 3 *Turnus Herdonius ab Aricia*, IV. 3, 11 *Tarquinium, incolam a Tarquiniis*, VI. 12, 6. 13, 8. 17, 7 *coloni a Velitris*, Plautus Merc. 940 *Video ibi hospitem Zacyntho*, Asin. 499 *Periphanes Rhodo mercator dives*, Ter. Andr. 833 *Illum hinc civem esse aiunt*, 892 *qui illam civem hinc dicant*, Eun. 234 *Conveni hodie adveniens quendam mei loci hinc atque ordinis*, ad quod exemplum Plauto restitutum est Trin. 326 *adulescenti hinc*, 359 *Lesbonico hinc adulescenti*, quibus locis in libris est *huic*, restituendum adhuc 872 *Lesbonicum hinc adulescentem quaero in his regionibus, Ubi habitet*, ubi *hic* legitur, cuius concursum cum verbis *in his regionibus* ita vitare student editores, ut haec ad sequentia trahant.

De reg. 1, 1, ubi in codicibus, nisi quod *Graeciae* habent, haec leguntur: *Hi fere fuerunt Graecae gentis duces, qui memoria digni videantur*, erarunt, qui Nepoti aut *viderentur* vel *videbantur* aut *sunt* scribendum fuisse dixerunt. Duplex in verbo *fuerunt* sententia inesse potest. Nam et hoc significare ita Nepos poterat, iis, quae antea legerentur, se absolvisse, quae de Graecae gentis ducibus memoria dignis exponenda fuissent, et hoc, praeter illos, qui antea commemorati essent, nullos fuisse Graecae gentis duces memoria dignos. Utrum eligimus, recte ponitur *videantur*, cum id significetur, quod eo tempore, quo haec scribebat Nepos, omnibus videretur. Quod si *viderentur* vel *videbantur* posuisset, aut de illo tempore diceret Nepos, quo eorum vitam exposuisset, quid sibi tum esset visum, aut quid tum, cum illi vixissent, de iis iudicatum esset; quorum hoc ineptum erat, cum posteritatis iudicium longe sit gravissimum, illud sane fieri poterat et saepe in simili re factum est, cum scriptoris iudicium idem esse, quod antea fuerit, praesertim non magno aut nullo potius intercedente temporis intervallo, per se intellegatur. Quod si quaerimus, utra sententia verbum *fuerunt* positum existimemus, praeferenda est sine dubio simplicissima, quam altero loco commemoravimus, cui coniunctivum praesentis unum vidimus accomodatissimum esse. Qui autem coniunctivo praesentis legem de consecutione temporum, quae dicitur, violari putarunt, naturam enuntiati relativi non satis perspectam habuerunt. Nam haec enuntiata relativa, quibus, quomodo aliquid comparatum sit, significatur (in quibus *qui* est *talis, ut*), apertum est enuntiata esse consecutiva. Ad haec autem non pertinet illa lex, quae tamen ne in reliquis quidem exceptione caret, ut enuntiata ex verbo praeteriti temporis apta tum quoque imperfectum habeant, cum etiam de praesenti dicatur.

LECTIONES

I. Ordinis Theologorum

1. PROFESSORUM ORDINARIORUM.

CAROLUS AUGUSTUS HASE, D. *privatim* dd. senis h. X *Iesu Christi Vitam* interpretabitur, *publice* tum *recentissimam ecclesiae catholicae historiam* dd. binis h. p. i. enarrabit, tum *Seminarii theologici exercitationes* una cum collegis SS. VV. moderari perget die Iovis horis VIII et IX.

LEOPOLDUS IMMANUEL RÜCKERT, D., h. t. Decanus, *privatim* 1) *Iohannis evangelium* interpretabitur sen. dd. hora VIII; 2) *Theologiam dogmaticam* pertractabit, adhibito in subsidium Grimmii V. S. V. libro: Institutio theol. dogmat., sen. diebus hora IX et binis (Lunae et Iovis) h. III. — *Seminarii theologici exercitationes* moderari perget una cum collegis VV. S. VV.

LUDOVICUS DIESTEL, D. *privatim* 1) *Iesaiae librum* interpretabitur quinquies per hebd. hora III—IV; 2) *Paedagogicen* tradet quater per hebd. h. XII—I; *publice* 3) *Seminarium* suum *paedagogicum* diriget die Lunae h. IV—V; 4) *Seminarii theologici exercitationes* in Vetere To interpretando una cum collegis SS. VV. moderari perget die Veneris horis VII et VIII.

OTTO PFLEIDERER, *privatim* senis dd. h. XI — XII *Ethicen christianam* tradet, *publice exercitationes Seminarii homiletici* die Mercurii h. XII, *catechetici* die Saturni h. XII moderabitur.

CAROL. LUDOV. WILIBALDUS GRIMM, D. *privatim* 1) Pauli *epistolam ad Romanos* et quae *Hebraeis* inscribitur epistolam explicabit sexies per hebd. hora VIII—IX. — 2) *Historiam litterariam Novi Testamenti* (quae vulgo *Introductio in Nov. Test. historico-critica* dicitur) tradet quinis vel senis diebus h. XI—XII. — Denique 3) *privatissime* scholas examinatorias ad *theologiam dogmaticam historiamque dogmatum* spectantes habebit librum suum, qui *Institutio theologiae dogmaticae* (Edit. II. Ien. 1869) inscribitur, secuturus, sexies et quinis quidem diebus hora VI—VII vesp., die Saturni hora auditoribus commoda.

PART 6

INDEX
SCHOLARVM AESTIVARVM
PVBLICE ET PRIVATIM

IN

VNIVERSITATE LITTERARVM IENENSI

INDE A DIE XVII M. APRILIS
VSQVE AD DIEM XXXI M. AVGVSTI A. MDCCCLXXI

HABENDARVM.



PRAEMISSA EST

CAROLI NIPPERDEII SPICILEGII ALTERIVS IN CORNELIO NEPOTE PARS VI.

IENAE
PROSTAT IN OFFICINA RATII.

HANN. 4, 4 cum in libris scriptum esset *P. Servilium Geminum*, itemque Cat. 1,2 *P. Claudii Neronis*, quorum illi *Gnaei*, huic *Gaii* praenomen fuisse constaret, postquam haec librariis potius quam Nepoti tribuenda visa sunt (item ut Hann. 12, 1 *L. Quintius Flamininus* pro *Tito* positus), in minoribus editionibus aliquando, quia *Cn.* et *C.* a librariis in *P.* corrupta esse non satis probabile putabam, praenomina omisi: nunc ita statuo, illud *p.* ut omnium praenominum notam pro singulis praenominibus, quae scribere non liberet, a librario esse positam. Nepos enim, ubi primam aliquo loco hominis alicuius Romani mentionem facit, constanter praenomen apponit, nisi ille est notissimus. Sic dixit *adulescentem Marium* Att. 2, 2 (quamquam est *C. Marius filius* 1, 4). *Sullam* 4, 1. 2. 16, 1, *Ciceronem* 4, 4. 5, 4. 9, 3. 10, 1. 4. 16, 2. 4. 18, 6 et in fragmento Guelferbytano, *Cicerones* 15, 3 (*M. Cicero* est Att. 1, 4. 5, 3. 16, 1), *Catonem* 15, 3, *Pompeium* 7, 1. 3, *Caesarem* 7, 3. 8, 1. 3, *Brutos et Cassium* 8, 1, *Brutum et Cassium* 8, 5, *Brutum* 8, 3. 4. 6. 9, 3. 10, 1. 11, 4 (*M. Brutum* dixit 8, 2. 16, 1. 18, 3, *C. Cassium et M. Brutum* 11, 2), *Antonium* 8, 5. 9, 2. 3. 6. 10, 1. 4. 12, 4. 20, 5 (*M. Antonium* 12, 2. 20, 4), *adulescentem Caesarem* 12, 1 eundemque *Caesarem* 19, 3. 4. 20, 3. 5, *Agrippam* 19, 4. 21. 4 (*M. Vipsanium Agrippam* 12, 1), *Lucretium Catullumque* 12. 4. Item, ut homo litteris notus, Hann. 13, 1 historicus *Sulpicius Blitho* sine praenomine appellatur, ibidem eadem de causa *Atticus*; quem Nepos cum praef. 1 familiariter *Attice* allocutus esset, ubi praeter hos locos et vitam ipsius commemoravit, Cat. 3, 1 *Huius de vita et moribus*, inquit, *plura in eo libro persecuti sumus, quem separatim de eo fecimus rogatu T. Pomponii Attici.* Unum mirum est, quod Att. 18, 3 haec leguntur: *Fecit hoc idem separatim in*

aliis libris, ut M. Bruti rogatu Iuniam familiam a stirpe ad hanc aetatem ordine enumeraverit, notans, qui a quoque ortus quos honores quibusque temporibus cepisset, pari modo Marcelli Claudii de Marcellorum, Scipionis Cornelii et Fabii Maximi Fabiorum et Aemiliorum. Videtur hic eum morem secutus esse Nepos, quo illi homines ab aequalibus nominari soliti sunt, quamquam tres Marcelli fuerunt Attici fere aequales, sed ex his unus, quem hic significari verisimile est, ceterorum superstes et eo tempore, quo Nepos haec scribebat, propter affinitatem Augusti notissimus.

7, 4, quem locum iam in praefatione editionis anni 1867 tetigi, haec scripta sunt: *Huc ut rediit, praetor factus est, postquam rex fuerat, anno secundo et vicesimo. Ut enim Romae consules, sic Carthagine quotannis annui bini reges creabantur.* Hic primum ineptum est de regibus Carthaginiensium legentes verbis *Ut enim Romae consules* et q. s. accuratius edoceri, de praetore nihil adici, cum illi antea obiter commemorati sint, hic in ea re, quae narratur, primarium locum obtineat. Deinde hic unus locus est, quo praetor Carthaginiensium, cui quidem domi res publica administranda esset, a rege diversus fuisse tradatur. Nam Livius XXXIII. 46, ubi de iisdem rebus atque Nepos tradens item *praetorem* vocat Hannibalem, recte existimatur hac voce *regem* vel *sufetem* significasse; qui ipsa Punica voce usus XXX. 7, 5 *Senatum itaque sufetes, quod velut consulare imperium apud eos erat, vocaverunt*, XXXIV. 61, 15 *cum sufetes ad ius dicendum consedissent* et de Gaditanis XXVIII. 37, 2 *sufetes eorum, qui summus Poenis est magistratus*, neque *praetorem* Carthaginiensium quemquam praeter sufetem neque sufetem Latino vocabulo alio quam *praetoris* videtur appellasse. Neque enim in iis, quae XXVIII. 30, 4 leguntur *comprensosque omnis Mago Adherbali praetori Carthaginem devehendos tradit*, erat, quod Weissenbornius dubitaret, utrum dux an sufes significaretur, et in periocha libri L *Carthaginienses Hasdrubalem, Masinissae nepotem, quem praetorem habebant, hominem proditionis suspectum, in curia interemerunt* recte Hendricum secutus Drakenborchius sufetem intellexit. Nam alterum Hasdrubalem, quem, cum illi Masinissae nepoti interitum machinatum esse τὴν τῆς πόλεως

στρατηγίαν προσλαβεῖν ἐπειγόμενον Appianus Pun. 111 extr. tradat, necato Masinissae nepote omnia eius munera suscepisse vel maxime verisimile est, Orosius IV. 23 *regem* eiusque uxorem *reginam* appellat: neque obstat, quod apud eundem superiore capite *Hasdrubal, Poenorum imperator*, *Masinissae nepos* legitur et antea Carthaginienses duos Hasdrubales duces sibi creasse narratur, de qua re accuratius tradit Appianus Pun. 93 στρατηγοὺς δὲ εἵλοντο τῶν μὲν ἔξω πράξεων Ἀσδρούβαν, ᾧ θάνατος ἐπικήρυκτος ἦν — ἐντὸς δὲ τειχῶν ᾑρέθη στρατηγὸς ἕτερος Ἀσδρούβας, θυγατριδοῦς Μασσανάσσου; immo quod hunc Appianus c. 111 τὸν ἄρχοντα τῆς πόλεως appellat, potest et ipsum quodammodo eum sufetem fuisse significare. Aristoteles enim Pol. II. 11 (p. 1273 b, 8 ap. Bekk.) Φαῦλον δ' ἂν δόξειεν εἶναι, inquit, καὶ τὸ πλείους ἀρχὰς τὸν αὐτὸν ἄρχειν, ὅπερ εὐδοκιμεῖ παρὰ τοῖς Καρχηδονίοις. Neque pauci commemorantur, qui simul et reges et imperatores fuerunt, velut Hamilcar, qui bellum cum Therone et Gelone gessit, quem Herodotus VII. 165 vocat στρατηγὸν Ἀμίλκαν τὸν Ἄννωνος, Καρχηδονίων ἐόντα βασιλέα, Diodorus XI. 20 στρατηγόν, Polyaenus I. 27, 2 (cui est Ἰμίλκων) βασιλέα, Hannibal, Gisgonis filius, apud Diod. XIII. 43. Himilco apud eundem XIV. 54, quem *imperatorem* appellat Iustinus XIX. 2, 7. 3, 1, *regem* item Orosius IV. 6, Mago apud Diod. XV. 15, qui etiam Hamilcarem, quem XX. 29 τῶν ἐν Σικελίᾳ δυνάμεων στρατηγὸν dixerat, c. 33 βασιλέα appellat; denique Bomilcar, dux adversus Agathoclem, de quo Diodorus tradit XX. 10. 12. 43, *rex Poenorum* dicitur a Iustino XXII. 7, 7, et *Adherbal* ille *praetor* a Livio XXVIII. 30, 4 commemoratus, de quo supra diximus, cum classi praefuerit, et sufes et imperator fuisse existimandus est. Uno loco apud Livium imperatores Carthaginiensium *praetores* dicuntur, XXI. 3, 4 *nos tamen minime decet iuventutem nostram pro militari rudimento assuefacere libidini praetorum*, verum ibi rectissime Aldus scribendum dixit et Iuntina recepit *imperatorum*. Neque recte Weissenbornius eosdem imperatores a Livio *reges* dictos iudicavit: nam in iis, quae subsequuntur, quibus hoc probari putat, *An hoc timemus, ne Hamilcaris filius nimis sero imperia immodica et regni paterni speciem videat, et cuius regis genero hereditarii sint relicti exercitus nostri, eius filio parum mature serviamus?* in his igitur *rege* et *regno*, ut saepe, nimiam et tyrannicam potentiam significari apparet. Imperatores

Carthaginiensium a nullo antiquo scriptore *reges* appellati sunt, nisi qui utroque magistratu simul fungebantur; Livius ne sufetes quidem *reges* dixit.

Sed ut falso *praetorem* Carthaginiensium a *rege* discerni existimemus, haec accedunt. Zonaras sive potius Cassius Dio, in cuius reliquiis eius rei vestigia supersunt fr. 57, 86 apud Bekkerum, postquam de pace retulit, qua bellum Punicum secundum compositum est, haec subiungit IX. 14 extr.: Ἀννίβας δὲ κατηγόρητο παρὰ τοῖς οἰκείοις ὡς τήν τε Ῥώμην λαβεῖν δυνηθεὶς καὶ μὴ θελήσας καὶ τὴν λείαν τὴν ἐκ τῆς Ἰταλίας σφετερισάμενος. Οὐ μὴν καὶ ἑάλω, ἀλλὰ καὶ τὴν μεγίστην τῶν Καρχηδονίων ἀρχὴν οὐκ εἰς μακρὰν ἐπετράπη, et narrationem de fuga Hannibalis ad Antiochum c. 18 (II. 257 ed. Bonn.) his verbis ingreditur: Ἀννίβας δὲ τὴν μεγίστην τῶν παρὰ Καρχηδονίοις ἀρχῶν εἰληφὼς καὶ προσκρούσας ἀπ' αὐτῆς τοῖς δυνατωτάτοις ἐμισήθη τε ὑπ' αὐτῶν καὶ πρὸς τοὺς Ῥωμαίους διεβλήθη. Iustinus autem XXXI. 2, 6, cum profectum esse Hannibalem narrasset, *Postera die*, inquit, *civitas principem suum ac tum temporis consulem in foro expectabat.* Quae quis aliter intellegere potest, nisi Hannibalem finito secundo bello Punico sufetem esse factum, cum Aristoteles Pol. II. 11 reges et imperatores Carthaginiensium identidem vocet τὰς μεγίστας τῶν ἀρχῶν, sufetes Livius *summum Poenorum magistratum* et *velut consulare imperium*, apud Paulum denique p. 308 haec legantur *Sufes consul lingua Poenorum.* In hoc reliquorum scriptorum omnium consensu nihil est ineptius sententiis Hendrici et Klugii, qui hoc uno Nepotis loco moti ille in *Carthagine sive Carthaginiensium re publica* p. 316 praeturam Carthaginiensium maiorem fuisse magistratum quam sufetum, hic in libro, qui inscriptus est *Aristoteles de politia Carthaginiensium* p. 96, novum hunc et extraordinarium magistratum, ceteris maiorem Hannibali esse mandatum statuerunt. Quem, ut cetera omittamus, quis Romanus scriptor *praeturam* dixisset? Nam cum sufetes consulibus compararentur, necessario praetor, si a sufete diversus fuisset, Romani praetoris similis fuisse existimandus esset. Is autem consule minor fuit. Atque haec ipsa res aliud argumentum nobis subministrat, cur hunc magistratum a sufetibus diversum apud Carthaginienses nullum fuisse iudicemus. Hunc enim praetorem Carthaginiensem domi item ut Romanum iurisdictioni praefuisse necesse esset, id quod ego olim in maiore editione statui. At hoc ipsum munus fuisse

sufetum et nomen eorum indicat, quo *iudices* significantur (quo eodem nomine consules Romani ante institutam praeturam appellabantur), et Livii locus ex XXXIV. 61. 15 supra allatus demonstrat. Praeterea quae et Nepos deinceps § 5 et Livius XXXIII. 46, 8 de vectigalibus et aerario Carthaginiensium ab Hannibale melius administrato referunt, aut quaestori aut summo magistratui sufeti conveniunt.

Denique ipsa illa, quae apud Nepotem ita adiunguntur, tamquam *rex* Carthaginiensium a *praetore* diversus fuerit, *postquam rex fuerat, anno secundo et vicesimo*, vera non sunt. Quae Klugius p. 73 et 97 perverse de aetate Hannibalis intellexit, cum intervallum inter utramque dignitatem interiectum significari appareat. Quo temporis spatio si rex fuisset Hannibal, aliqua eius rei significatio, si non apud reliquos scriptores, certe apud Polybium inveniretur: non fuisse, antequam Carthaginem rediret, silentium omnium evincit. Quid autem apertius est quam eum, qui haec scripserit, falso *regem* pro *imperatore* posuisse? Nam inter annum p. Ch. n. 221, quo imperator factus est Hannibal, et annum 199, qui proximus est post P. Sulpicium C. Aurelium consules, post quos consules Hannibalem domum revocatum praetorem esse factum apud Nepotem legimus, ipsi illi duo et viginti anni intercedunt.

Ex iis, quae proximis verbis traduntur: *Ut enim Romae consules, sic Carthagine quotannis annui bini reges creabantur*, hoc, binos fuisse reges Carthaginiensium, item hoc uno loco certa significatione declaratur; cum tamen Aristoteles reges Carthaginiensium comparet cum regibus Lacedaemoniorum (ἔχει, inquit Pol. II. 11, ἡ Καρχηδονίων πολιτεῖα τοὺς βασιλεῖς καὶ τὴν γερουσίαν ἀνάλογον τοῖς ἐκεῖ βασιλεῦσι καὶ γέρουσιν), Livius, Iustinus, Paulus Diaconus cum consulibus Romanorum, neque dubitavit de ea re quisquam neque dubitandum est. In diversas partes discessum est de altera re, quod annui fuisse apud Nepotem dicuntur. Hendricus p. 312 et Klugius p. 87 hoc vere traditum censuerunt, cum multum tribuerent Zonarae consensui, cuius haec verba sunt de Carthaginiensibus VIII. 8 (II. 131 ed. Bonn.): τὸν γὰρ βασιλέα ἑαυτοῖς κλῆσιν ἐτησίου ἀρχῆς, ἀλλ' οὐκ ἐπὶ χρονίῳ δυναστείᾳ προὐβάλλοντο. Neque Zonaram vel potius Cassium Dionem, ex quo illum sua petisse nunc inter omnes constat, in his Nepotem secutum esse satis probabiliter statuit Goettlingius noster ad Arist. Pol. p. 484. Perpetuam fuisse regum Carthaginiensium potestatem

praeter Goettlingium, qui uno Aristotele nititur, maxime defendit Heerenus (in libro, cui index est *Ideen über die Politik* et q. s. II. 1, 135 ed. quartae). Qui quod Ciceronem de re p. II. 23, 42 reges Carthaginiensium conferre ait cum regibus Romanorum, primum verum non est. Nihil enim dicit aliud nisi triplex rerum publicarum genus, ex regali, optimati, populari mixtum, commune fuisse Romanis cum Lacedaemoniis et Carthaginiensibus. Quae res si reges Carthaginiensium usque ad vitae finem tenuisse potestatem demonstraret, eodem argumento unum fuisse Carthaginiensium et Lacedaemoniorum regem ut Romanorum statuendum esset, praesertim cum multa Cicero § 43 dicat de unius potestate; neque minus recte inde, quod Livius reges Carthaginiensium cum consulibus Romanis comparat, alii consules appellant, eos annuos fuisse probaretur. Longe etiam debiliora alia sunt eiusdem argumenta. Grave est unum, quod Aristoteles, ubi, quibus rebus Carthaginiensium et Lacedaemoniorum reges differant, exponit, nihil diceret de tempore. Quod si verum esset, sane rem conficeret. Atqui is locus corruptus ad nos pervenit, ut, quid Aristoteles dixerit, ex parte tantum affirmare liceat. Haec enim in codicibus leguntur post verba supra allata, p. 1272 b, 38 ap. Bekk.: *Καὶ βέλτιον δὲ τοὺς βασιλεῖς μήτε κατὰ τὸ αὐτὸ εἶναι γένος μηδὲ τοῦτο τὸ τυχόν εἴτε διαφέρον ἐκ τούτων αἱρετοὺς μᾶλλον ἢ καθ' ἡλικίαν.* Quae nemo adhuc ita emendavit, ut, quid Aristoteles scripserit, constet. Verum hunc nequaquam perpetuam regum potestatem iudicasse Klugius eo demonstravit, quod p. 1273 a, 15 *τὰς πενταρχίας* ait *πλείονα ἄρχειν χρόνον τῶν ἄλλων.* Itaque Boetticherus historiae Carthaginiensium p. 46 itemque Godofredus Wolffius in dissertatione de principibus rei publicae Carthaginiensis magistratibus Bonnae anno 1857 edita p. 8 (nihil sane novi attulit Koernerus in libello de re publica Carthaginiensium Halis a. 1867 vulgato) reges Carthaginiensium neque per unum tantum annum neque per totam vitam regnasse censuit; ex quibus hoc sane certum est, illud non melioribus quam superiores argumentis probavit Wolffius. Potius ita statuendum est, iis, quae apud Nepotem leguntur, non leve momentum accedere Zonarae testimonio, quod ego quoque adhuc neglexi; cum tamen utrumque testimonium non tam grave sit, ut certam ei rei fidem faciat, et Aristotelis aut alius gravioris scriptoris testimonium desit, hoc unum constare, regiam Carthaginiensium potestatem perpetuam non

fuisse, quo temporis spatio circumscripta fuerit, dubium, annuam fuisse omnium maxime probabile esse.

Denique ea, quae apud Nepotem leguntur § 6 *Deinde anno post praeturam, M. Claudio L. Furio consulibus*, ita tantum probari possunt, si Hannibal aut non statim, ut rediit, hoc est anno p. Ch. 199, sed 197 demum praeturam acceperit, aut non per unum, sed plures annos tenuerit.

Iam si quaerimus, quid ex his omnibus rebus Nepoti tribuere liceat, unum constat, etiamsi verum non sit, annuos fuisse reges Carthaginiensium, tamen, cum id aliis antiquis hominibus ita visum sit, Nepoti quoque videri potuisse: utrum gravissimi errores, quibus praetor Carthaginiensium discernitur a rege et hic pro imperatore ponitur, et inepta sententiarum coniunctio, qua verba *Ut enim Romae consules* et q. s. iis, quae antea legimus, adiunguntur, ipsi an aliis, qui eius verba corruperint, debeantur, id et universa scriptoris natura et emendandi huius loci difficultas dubitare nos cogit. Unum est remedium simplicissimum, sed idem violentissimum, ut illa omnia *postquam rex fuerat, anno secundo et vicesimo. Ut enim Romae consules, sic Carthagine quotannis annui bini reges creabantur*, aut servatis aut ipsis quoque reiectis inferioribus *anno post praeturam*, spuria iudicemus. Aliam rationem, qua servarentur verba *Ut enim Romae consules, sic Carthagine quotannis annui bini reges creabantur*, iniit Heusingerus. Ita enim Nepotem scripsisse putavit: *Huc ut rediit, rex factus est, postquam praetor fuerat, anno secundo et vicesimo*, et *praetorem* ab eo dictum esse imperatorem. At Romani scriptores sane Graecarum civitatium *στρατηγοὺς* proprio vocabulo *praetores* dicere consuerunt. Carthaginiensium *στρατηγοὺς* a Graecis appellatos, quorum Punicum nomen nescimus, numquam *praetores* vocaverunt (de uno enim Livii loco, qui refragatur, antea diximus), sed aut *dictatores* aut *duces* aut *imperatores*. Et *dictatorem* quidem alii sufetem, alii eum, qui simul et sufes et imperator esset, appellatum opinati sunt. Quae falsa esse evincunt Catonis loci apud Gell. II. 19, 9. X. 24, 7, quibus Hannibal post pugnam Cannensem, quo tempore eum sufetem fuisse propter Polybii silentium minime credibile est, *dictator* appellatur. Videntur autem hoc nomine maxime antiqui usi esse, velut praeter Catonem in Duilii columna rostrata imitatione antiquitatis Claudii ae-

tate composita C. I. L. I p. 38 v. 8 haec legimus in hunc modum a viris doctis suppleta: [max]*umas copias Cartaciniensis praesente*[d Hanibaled] *dictatored o-l*[or]*um inaltod marid pucn*[andod vicet]. Praeterea Hasdrubalis *dictaturas undecim* Iustinus XIX. 1, 7 commemorat. Livii locus XXIII. 13, 8 recte plerisque corruptus videtur; minus recte suspectus fuit Frontini Strateg. II. 1, 4 *et dictatores Carthaginiensium cotidie ante ipsa munimenta Romanorum dirigerent aciem*, ubi recte Oudendorpius in curis secundis significari statuit Hannibalem Agrigenti inclusum et Hannonem huic subsidio missum, quorum ille *imperator Poenorum*, hic *imperator novus Carthaginiensium* ab Orosio IV. 7 vocatur. *Dux* quamquam plerumque, quicumque militibus praeest, appellatur et magis rem quam dignitatem significat, velut *Hannibale duce, Hamilcare duce* apud Liv. XXI. 1, 1. 2, 2, tamen nonnumquam peculiarem habet summi ducis significationem, qua Livius de Hannibale haec posuit XXI. 5, 1 *ex quo die dux est declaratus* et 12, 1 *Nec Sagunti oppugnatio segnior erat Maharbale, Himilconis filio (eum praefecerat Hannibal) ita impigre rem agente, ut ducem abesse nec cives nec hostes sentirent.* At proprium huius rei vocabulum et apud omnes scriptores frequentissimum est *imperator*, eoque Nepos Ham. 2, 3. 3, 1. Hann. 2, 3. 3, 1. 2 neque ullo alio usus est. Unum igitur relinqui videtur, ut Nepotem sic scripsisse iudicemus: *Huc ut rediit, rex factus est, postquam imperator fuerat, anno secundo et vicesimo. Ut enim Romae consules, sic Carthagine quotannis annui bini reges creabantur.* Ex quibus ea, quae nunc leguntur, ita orta esse possunt, ut aliquis, qui a Livio XXXIII. 46 in eadem re tradenda Hannibalem *praetorem* dici legisset, hanc vocem *regi* ascripserit, deinde alius *praetorem* pro *rege*, et cum proxima *regem* hic commemoratum esse demonstrarent et fortasse simul ipse sibi deinceps non *imperatorem*, sed *praetorem* legere videretur, *regem* pro *imperatore* posuerit. Apparet autem cum hac ratione non convenire verba § 6 *Deinde anno post praeturam, M. Claudio L. Furio consulibus.* Et Heusingerus quidem unam vocem *praeturam* interpolatam iudicabat, ita ut Hannibalem extremo anno 200 p. Ch. domum revocatum, proximo designatum, magistratu 198 non calendis Ianuariis, sed serius inito 197 demum abisse statueret. At hanc artificiosam rationem refutant verba *postquam imperator fuerat, anno secundo et vicesimo*, quae Hannibalem anno 19 sufetem factum esse declarant, quod idem optime iis convenit, quae antea narrata sunt, cum anno 200 legati Romani de eo essent questi, Hannibalem domum revocatum et, ut redierit, regem esse factum: haec enim, quicumque alia edoctus non fuerit, ita accipiet, ut nullo longiore spatio interiecto se exceperint. Heusingerus autem, qui liberare errore Nepotem studet, alterum ei affingit, ut de tempore, quo Hannibal imperator erat creatus, quod erat notissimum, erraverit. Fuit, qui et *praeturam* deleret et *deinde* corruptum putaret ex *quinto*, quod ne litterarum quidem similitudine commendatur, cuius adeo cupidus fuit ille, ut in foedissimum calculorum errorem incideret. Et quae ratio est duplici mendi genere corrupta statuere, quae ad unum revocare licet? Itaque potius tria vocabula *anno post praeturam* interpolata existimanda sunt, ab eodem adiecta, qui primus *regi* ascripserit *praetorem:* is enim cum apud Livium XXXIII. 45, 8 haec legisset de Hannibale *Irritaverat etiam recenti facto multorum potentium animos*, praeturam, in qua illud perpetraverat Hannibal, proximo anno putavit assignandam, consulum, quibus Hannibalis fugam tradit Livius, nulla ratione habita. Neque quo minus ita statuam, Fleckeiseni iudicium me deterret, cui in Philol. IV. 324 eiectis praeter *praeturam* etiam illis *anno post* reliqua nimis nude adiungi et haec res tanti videtur, ut Nepoti errorem tribuere malit. Verum haec omnia eiusmodi sunt, ut cauto ac sobrio critico, etiamsi tam graviter errasse Nepotem non credat, tamen mutare quicquam hoc loco non liceat. At idem nunc facile adducor, ut, quod adhuc non feci, etsi rem ab aliis neglectam dudum notaveram, initio c. 8 Nepotem scripsisse credam *anno quarto, postquam domo profugerat, L. Cornelio Q. Minucio consulibus*, cum, quod in codicibus legitur, *anno tertio*, Romanae consuetudini repugnet.

Versu primo EPIGRAMMATIS PROBI, quod libri Hannibali subiciunt, et ego quoque retuli in editione anni 1867 p. 85, secutus non sum codicis Parcensis scripturam

Vade, liber, nostri fato meliore memento,

quia, ut multa alia in eo libro, coniectura effectam putavi, in quam iam ante inventum hunc codicem alii inciderant. Quae in universa familia *B* leguntur, de qua sola praeter Parcensem constat, sic distincta antea edebantur:

Vade, liber noster, fato meliore memento,

quo facto vitiose *memento* cum ablativo coniungebatur. Itaque sic scripsi:

Vade, liber noster, fato meliore, memento,

ut *fato meliore* cum imperativo *vade* coniungeretur, *memento* nude adiectum gravius inculcaret melius fatum manere librum apud imperatorem, quam fuerat antea apud Probum; quomodo Cicero dixit ad Att. IX. 7, 4 *Causa igitur non bona est? Immo optima, sed agetur, memento, foedissime.*

Item vitiose scribebatur ultimus versus

Felices, dominum quae meruere, manus.

Nam *merere dominum* est *dominum sibi parare* vel *dignum esse, qui dominum habeat;* quae inepta sunt hoc loco. Quare Probum *emeruere* scripsisse iudicavi, ut praeter alios dixit Ovidius Am. II. 8, 24 *Unum est e dominis emeruisse satis,* Heroid. 6, 138 *Crimine dotata est emeruitque virum,* Trist. IV. 8, 52 *Aequantem superos emeruisse virum.* Ex cuius Tristium primo carmine complura Probum in epigramma suum transtulisse iam ab aliis adnotatum est, velut ex v. 3 *vade,* 15 *vade, liber,* 9 *felices ornent haec instrumenta libellos,* 11 *nec fragili geminae poliantur pumice frontes,* 62 *te liquet esse meum.*

Att. 9,4 deserui ex parte postea, quam initio tenueram, codicis archetypi scripturam *Ipsi autem Fulviae, cum litibus destinaretur magnisque terroribus vexaretur, tanta diligentia officium suum praestitit, ut nullum illa stiterit vadimonium sine Attico, sponsor omnium rerum fuerit.* Neque enim de futuris litibus dici, ut olim putabam, quas Antonii adversarii se Fulviae intenturos minati sint, sed de praesentibus et iam intentis, proxima demonstrant. Ne autem *destinare* hic primaria significatione positum existimemus, qua est *alligare* vel *deligare, defigere,* qua usi sunt ex antiquioribus Caesar b. G. III. 14, 6 *funes, qui antemnas ad malos destinabant,* VII. 22, 2 *laqueis falces avertebant, quas cum destinaverant, tormentis introrsus reducebant,* b. c. I. 25, 7 *Has quaternis ancoris ex quattuor angulis destinabat* et Vitruvius V. 12, 3 *arcae in aquam demittendae destinandaeque firmiter,* qui ibidem et § 5 etiam substantivum *destinas* posuit, primum hoc

impedit, quod hoc significatu verbum translate poni non videtur (nam b. Afr. 88, 2 verba *animum mentemque perterritam atque in fugam destinatam habere,* quae Schneiderus ad Caes. b. G. III. 14, 6 commemorat, non aliter dicuntur atque *certae destinataeque sententiae* ap. Cic. Tusc. II. 2, 5, *opinio destinata, consilia ad bellum destinata* ap. Liv. XXVIII. 14, 9. XLII. 48, 1 hoc est *obfirmata,* neque apud Caes. b. G. VII. 72, 2 *operi destinati* sunt operi intenti, in opere occupati, sed quibus opus iniunctum, mandatum erat, quos operi destinaverat Caesar, *die zur arbeit bestimmten*); tum hoc ne aptum quidem esset. Nam ut *litibus* dativum putaremus, non patitur usus, quia hac significatione *destinari aliquid ad aliquam rem* dici solet, neque haec imago, non magis quam *alligari litibus,* convenit Latinae consuetudini, quae *implicari litibus* probavit. Ablativus autem significaret Fulviam impediri litibus, quo minus aut discederet aut ageret quicquam, quorum illud omnino in animo non habebat Fulvia, neutrum litibus effici poterat. Redii igitur ad scripturam familiae c *distineretur,* superioribus editoribus probatam, quae rei gravitati accommodatissima est. Contra nihil mutavi in ultimis huius loci verbis, cum nihil apud Nepotem sit frequentius quam mutatum subiectum non poni, sed intellegi, id quod hoc loco fit facillime. Sic Them. 6, 4, cum antea de Lacedaemoniis relatum esset, subiciuntur haec *His praesentibus desierunt,* nempe *Athenienses;* 9, 3 legimus *ut pons, quem in Hellesponto fecerat, dissolveretur atque ab hostibus circumiretur* (Xerxen dicit); Paus. 1, 3 *suo ductu barbaros apud Plataeas esse deletos, eiusque victoriae ergo Apollini donum dedisse,* scilicet non illos, sed Pausaniam, cuius haec verba sunt; Lys. 4, 1 *Quem cum legisset probassetque, alterum pari magnitudine subiecit,* priora de Lysandro, haec de Pharnabazo; Dion. 2, 3 *Itaque cum a Dionysio crudeliter violatus esset, quippe quem venundari iussisset,* illud de Platone, hoc de Dionysio, Chabr. 4, 2 *Cum enim eo penetrasset* (Chabriam dicit), *ceterae non sunt secutae* (naves intellegit); Ep. 10, 1 *In quo cum reprehenderetur a Pelopida, maleque eum in eo patriae consulere diceret,* nimirum Pelopidas; Phoc. 2, 3 *Namque auctus adiutusque a Demosthene eum, quem tenebat, ascenderat gradum, cum adversus Charetem eum subornaret* (hic Demosthenes, illic Phocion intellegitur); Att. 8, 4 *si quid Brutus de suis facultatibus uti voluisset, usurum, quan-*

tum hae paterentur; sed neque cum quoquam de ea re collocuturum neque coiturum (plane ut Paus. 1, 3 antea Brutus, hic Atticus, cuius oratio est, intellegitur). Nec dissimilia haec sunt: Cim. 4, 4 *si et vita eius fuit secura et mors acerba*, at hoc non Cimoni, de quo dicitur, sed aliis, Timoth. 2, 3 *Sic iuxta posita recens filii veterem patris renovavit memoriam*, ubi *recens posita* secundum orationis formam *memoria* debebat intellegi, *statuam* antea commemoratam dici ipsa verba demonstrant. Ex his nonnulla a recentioribus sunt mutata, complura non leviora intacta relicta; plura etiam non difficulter mutari poterunt: sed quis haec omnia librariis deberi credat? et quis Them. 6, 4. 9, 3. Phoc. 2, 3. Cim. 4, 4. Timoth. 2, 3 mutabit? Quamquam desperandum non est, cum inventus sit, qui Ep. 10, 1 scriberet *maleque ille eum in eo.* Haec exempla vel Pel. 4, 3 dubitare nos cogunt, ubi haec leguntur de Pelopida longe in hoc genere gravissima: *Omnibus praeterea periculis affuit (sicut, Spartam cum oppugnavit* [hic intellegendus est Epaminondas antea commemoratus], *alterum tenuit cornu)*, quamvis facile sit *ille* inserere post *oppugnavit.* At eo loco, cuius causa haec disputavimus, nihil est vitiosius Halmii coniectura magno plausu a compluribus excepta, cuius ipsum auctorem paenitere arbitror, *ut nullum illa stiterit vadimonium, quin Atticus sponsor omnium rerum fuerit.* Quasi in omni vadimonio sistendo spondendum aliquid fuerit aut necessaria quaedam coniunctio vadimonio intercesserit cum sponsore dando! Quae apud Nepotem legimus, hanc habent rectam sententiam: quotiescumque vadibus datis diem constitutam obibat Fulvia, aderat ei Atticus; idem, quotiescumque sponsore illa egebat, spondebat.

18, 5 *Namque versibus, qui honore rerumque gestarum amplitudine ceteros Romani populi praestiterunt, exposuit ita, ut sub singulorum imaginibus facta magistratusque eorum non amplius quaternis quinisque versibus descripserit.* Recte Fleckeisenus in Phil. IV p. 342 eos reprehendit, qui ante relativum verba *de iis* intellegi posse putarent, inter quos ego quoque fui, cum Nepotem primum ederem. Postea *eos* intellegendum dixi et *exponere* cum accusativo hic eodem modo positum iudicavi atque Them. 1, 2 *Sed ab initio est ordiendus*, Alc. 11, 6 *reliquos ordiamur*, Hann. 13, 4 *Romanorum explicare imperatores.* Sed confitendum est

inter hos locos et eum, quem tractamus, hoc interesse, quod illis de vitae narratione, ita ut ipsi homines quasi pro vita sua ponantur, hoc de brevissima rerum maxime memorabilium notatione agitur. Itaque nunc fere adducor, ut post *versibus* excidisse putem *de iis*, praesertim cum is error facillimus fuerit. Namque Fleckeisenus omnem probabilitatem egressus est, cum pro *versibus* substituit *de viris illis;* cui quod intolerabilis visa est repetita vox *versibus*, permulta eius generis et longe graviora ex Nepote a me collecta sunt in editione maiore ad Dat. 5, 6, ex quibus ut simillima haec afferre satis est: Them. 3, 3 *quod erat periculum, ne, si pars navium adversariorum Euboeam superasset, ancipiti premerentur periculo*, Dion. 5, 5 *iis ipsis, qui sub adversarii fuerant potestate, regios spiritus repressit totiusque eius partis Siciliae potitus est, quae sub Dionysii fuerat potestate*, Phoc. 2, 1 *Idem cum prope ad annum octogesimum prospera pervenisset fortuna, extremis temporibus magnum in odium pervenit suorum civium*, Att. 8, 1 *cum res publica penes Brutos videretur esse et Cassium ac tota civitas se ad eos convertisse videretur.*

21, 3 nimis diu toleravi hanc librorum scripturam: *subito tanta vis morbi in unum intestinum prorupit, ut extremo tempore per lumbos fistulae puris eruperint.* Nam cum Attici morbus initio tenesmos medicis videretur, qui intestini est morbus, in hac corporis parte eum ab initio vim suam exercuisse apparet; neque verisimile est, quod antea ad excusandam librorum scripturam statui, initio alias quoque corporis partes affectas fuisse, et si fuerint, tamen ineptum erat dicere, quod legimus, cum et illas aliarum partium affectiones leviores fuisse necesse sit, neque, quod morbus in unum intestinum proruperit, quicquam ad gravitatem eius pertineat. Recte Ascensius correxit *imum*, iam ab Heusingero et aliis receptum.

LECTIONES

I. Ordinis Theologorum

1. PROFESSORUM ORDINARIORUM.

CAROLUS AUGUSTUS HASE, D. *privatim* dd. senis h. X *Historiae ecclesiasticae partem priorem* enarrabit, *publice Seminarii theologici exercitationes* una cum collegis SS. VV. moderari perget die Iovis horis VIII et IX.

LEOPOLDUS IMMANUEL RÜCKERT, D. *privatim* 1) *Pauli ad Corinthios epistolas* interpretabitur sen. dd. hora VIII; 2) *Theologiam biblicam* tractabit sen. diebus hora IX et d. Lunae h. V post merid. — *Seminarii theologici exercitationes* moderabitur una cum collegis VV. S. VV.

LUDOVICUS DIESTEL, D., h. t. Decanus, *privatim* 1) *Geneseos librum* interpretabitur quinquies per hebd. hora IX—X; 2) *Isagogen biblicam in Vetus T.* tradet quater per hebd. h. XII—I; *publice* 3) *Seminarium* suum *paedagogicum* reget die Lunae h. IV—V; 4) *Seminarii theologici exercitationes* in Vetere To interpretando una cum collegis SS. VV. moderari perget die Veneris horis pomerid. VI et VII.

OTTO PFLEIDERER, D. *privatim* 1) *Artem homileticam et catecheticam* h. XI—XII quater per hebd. tradet; 2) *Epistolas quas vocant pastorales* bis. diebus Martis et Iovis, hora V—VI explicabit; *publice* 3) *Seminarium homileticum* h. XII—I die Lunae et *Sem. catecheticum* h. XI—XII die Mercurii moderari perget.

CAROL. LUDOV. WILIBALDUS GRIMM, D. *privatim* 1) cursum interpretationis Novi Testamenti intra biennium absolvendum denuo auspicaturus *evangelia*